

INTRODUC TIO

De Ioanne Baptista Lancellotti tricesimo primo nuntio apostolico apud Polonus

1. De nuntii familia

Anno centesimo, ex quo nondum publice nuntiatura Polona est instituta, anno autem fere septuagesimo, ex quo nuntiatura stabilis, residentialis in Polonia est condita (Cracoviae usque ad annum 1596 deinde Varsaviae), Ioannes Baptista Lancellotti (1575–1655), episcopus Italus, nuntius apud Polonus factus est. Fuit nuntius pontificius tricesimus primus (si decem „nuntios minores” numeras). Natus est Romae die 20 mensis Novembris anno 1575 et mox in ecclesia S. Simonis baptizatus est¹.

De Lancellottorum gente

Ioannis Baptistae Lancellotti proavi originem duxerunt e Lusitania, conderunt autem Avennione, Bononiae, Bruxellis, Neapoli et Romae. Fama fuit familiam ex Iudeis proavis originem duxisse². Ramus Romanus familie in Italiam per Siciliam pervenit, ubi iam anno 1262 Lancellotti quidam Trapari [Trapani] gubernavit. Fridericus Lancellotti anno 1442 Romam venit ibique consedit³. Saeculo XVI ineunte Scipio Lancellotti († 1517), Ioannis Baptistae Lancellotti proavus, humanista et medicinae doctor inclaruit. Is Hippolytam Casali uxorem duxit, ex qua octo liberos genuit. In eorum numero fuit Horatius († 1556), avus Ioannis Baptistae Lancellotti. Idem Horatius Lancellotti inde ab anno 1528 fuit rector scholae Romanae ad ecclesiam „Santa Lucia della Tinta” institutae⁴. Qui Horatius Antoninam Aragonensem uxorem duxit,

¹ „Ioannes Baptista natus fuit die Dominico 20 XI 1575 hora 12 ¾, qui fuit baptizatus die ... in ecclesia St. Simonei” – cfr Lauro, Archivio dei Principi Lancellotti (infra citatur: Lauro, APL): Notizie genealogiche 1570–1682, f. 1r; cfr etiam ibidem: Cenni storici e biografici della Famiglia Lancellotti scritti da Giuseppina Massimo principessa Lancellotti, vedova del principe Ottavio Maria Lancellotti (1789–1852), s. p.

² Cuius rei mentio legitur in epistula, quam card. Barberini ad Honoratum Visconti nuntium die 14 XII 1630 dedit, in qua scripsit ea re imprimis factum esse, ut pontifex maximus cardinalis dignitate Ioannem B. Lancellotti non ornaret. Cfr ANP t. XXIV vol. 1 n. 94, p. 105. Sed fortasse finixerunt id homines, qui a Lancellottis averso erant animo.

³ Hoc anno Lanceillottos Romanam venisse dicit Vittorio Spredi, fortasse Theodorum Ameyden secutus, in: *Enciclopedia Storico-Nobiliare Italiana*, vol. 4, Milano 1931, p. 32. In *Dizionario Encyclopedico Italiano*, vol. 6, Roma (annus, quo liber in lucem prodiit, deest), col. 273, legimus id centum annis post, id est saeculo XVI medio, factum esse.

⁴ Cfr T. Ameyden, *La storia delle famiglie romane*, vol. 2, Roma [1910], p. 15.

ex qua septem liberi nati sunt, inter quos fuit nuntii nostri pater, Paulus Lancellotti, et duo patrui: cardinalis Scipio Lancellotti et episcopus Lancellottus Lancellotti.

De patruis

SCIPIO LANCELLOTTI (1527–2 VI 1598)⁵

Qui postquam in Universitate Bononiensi doctor utriusque iuris erat creatus, Paulo III pontifice maximo (1534–1549) advocatus consistorialis in Curia Romana occupatus fuit, deinde superintendens rebus Status Ecclesiastici curandis, gubernator Romaniae, Venetiarum et Mediolani, denique secretarius brevium factus est. Primae synodo a S. Carolo Borromaeo Mediolani convocatae adfuit, cum Pius IV pontifex maximus esset, deinde consultor rebus in Concilio Tridentino tractatis operam dedit. Quinque conclavebus adfuit. Sed Apostolicae non semel gravissima munera diplomatica explevit. Legatus pontificius in aulam Maximiliani II et Alberti, Bavariae ducis, est missus, ut res quasdam ad Concilium Tridentinum ad finem adducendum pertinentes componeret. Iam anno 1565 auditor Rotae Romanae fuit, die autem 12 II eiusdem anni dignitate protonotarii apostolici est ornatus⁶. Deinde a Pio V pontifice maximo Tridentum missus est, ut capitulo illius loci interesset et inimicitias, quae cardinali et archiepiscopo Madrucci cum Ferdinando imperatore, archiduce Austriae et duce Bavariae, fuerunt, leniret. Legatus pontificius cardinalem Commendone Augustam Vindelicorum comitatus est, ut comitiis imperatori creando interesset. A Gregorio XIII pontifice maximo consiliator cardinalis Orsini, legatus *a latere*, ad Carolum IX, regem Francogalliae, missus est. Deinde munus obiit gravissimum ad res Rotae Romanae Neapoli et in Romania pertinens. Die 12 XII anno 1583 a Gregorio XIII cardinalis diaconus, postea autem cardinalis presbyter est factus et ecclesiam titularem S. Simonis Romanam accepit. Sixtus V pontifex maximus aliam ecclesiam cardinalem ei assignavit. Primum eo munere functa est ecclesia S. Salvatori Laurana (prope Nolam). Idem pontifex maximus anno 1585 secretarium brevium et superintendentem rebus Status Ecclesiastici curandis eum fecit⁷. Praeterea annis 1584–1598 Congregationis Concilii socius fuit. Deinde a Gregorio XIII vel a Sixto V ante diem 29 mensis Aprilis anni 1585 abbas commendatarius in abbatia S. Petri in Pedemonte prope Casertam factus est. Sed duabus fere mensibus post, die 25 mensis Iunii, dignitatem nepoti tradidit, qui fuit fratri filius Franciscus. Verisimile videtur post mortem eius, id est sex fere annis post,

⁵ Cfr G. Moroni, *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica*, vol. 37, Venezia 1846, p. 85-86 (*Lancellotti Scipione, cardinale*).

⁶ Cfr Lauro, APL: Inventario 1728, f. 55r.

⁷ Cfr Lauro, APL: Elogii, f. 2r, 4r, 5r.

cardinalem Scipionem munus abbatis commendatarii denuo suscepisse⁸. Obiit Romae die 2 mensis Iunii anno 1598. Possedit palatum Romae ad viam de' Coronari situm et capellam S. Francisci ad basilicam S. Ioannis Lateranensem fundavit.

LANCELOTTO LANCELOTTI (1546–1602) fuit archiepiscopus in Prassano, canonicus cathedrae Lateranensis, basilicae „Rossanensi” et „Bensemensi”⁹.

De proximis nuntii

Anno 1585 documentum confectum est, quo nuntiatur Paulum et Robertum Lancellotti in numero familiarum nobilitate ornatarum haberi. Qui Paulus sine dubio est pater Ioannis Baptistae, qui postea nuntius apud Polonus fuit. De Roberto adhuc nihil certi scimus¹⁰.

Paulus Lancellotti anno 1570 Iuliam Delfini († 22 III 1591) uxorem duxit. Quae fuit consanguinea familiae Pauli V Borghese pontificis maximi. Qua re factum est, ut Lancellottorum familia in numero nepotum huius papae esset. Deinde per unam ex Iuliae sororibus, Victoriam, cognati sunt facti Aemilii Altieri, qui auditor Ioannis Baptistae nuntii fuit, postea autem Clemens X pontifex maximus est factus¹¹.

Paulus Lancellotti et Iulia Delphini decem liberos generunt. Non vixit nisi octo dies filia natu maxima Laura (9 I 1571–17 I 1571). Deinde nati sunt: Horatius (8 XII 1571–9 XII 1620), Franciscus (13 XI 1572–29 IV 1591), Laura (3 X 1573–1639), Hortensia (5 X 1574–1576), Ioannes Baptista, postea nuntius apud Polonus (20 XI 1575–23 VII 1655), post quem quattuor liberi

⁸ Cfr C. Esperti, *Memoriale Ecclesiastiche della Città di Caserta*, Napoli 1775, p. 91. Benedictus Mandina, episcopus Casertae, in sua relatione *ad limina* die 9 XII 1594 scripsit abbatiam a cardinale Lancellotti rectam esse, qui sex sacerdotes dioecesanos instituit, ut animos fidelium curarent. Qui privatas missas cotidie celebrabant, diebus autem festis una in choro breviarium recitabant et missam conventualem celebrabant. Cfr Archivum Secretum Vaticanum (infra citatur: AV), S. Congregationis Concilii: Relationes 174A, Casertan., f. 88v, 91r. Quae fuit abbatia Benedictina, Monti Cassino adiacenti non subiecta. Iam temporibus card. Scipionis Lancellotti aestimatio abbatiae S. Pietro de Pedemonte prope Casertam, in commentarios Camerare Apostolicae relata, 50 florenos aureos efficiebat, redditus autem annuus 700 ducatos (quorum pars tertia in conventum sustentandum et pauperes adiuvandos impendebatur). Ioannes Baptista Lancellotti vicesimus septimus abbas commendatarius fuit. Anno 1622 redditus annuus abbatiae, quae sex capellanos habuit, mille ducatos efficiebat, sed aedificium magna ex parte corruit, religiosi autem in ecclesia habitabant. Cfr Caserta, Arch. Vesc.: Visita pastorale mons. Diodato Gentile anno 1614, f. I; AV, S. Congregationis Concilii: Relationes 197A, Casertan. – Rel. mons. A. Diaz, n. n.; A. Fino, *Chiesa e società nelle diocesi di Terra di Lavoro a sud del Volturno in età posttridentina (1585–1630)*, „Rivista di storia della Chiesa in Italia” 35 (1981), p. 406.

⁹ Cfr Lauro, APL, Elogii, f. 4r-5r; T. Amayden, *op. cit.*, vol. 2, p. 15.

¹⁰ Coppia huius documenti asservatur Romae, Archivio di Stato (infra citatur: AS): Famiglie Misc. 90, fasc. 14, f. 725r-726v.

¹¹ Cfr C. Weber, *Senatus Divinus. Verborgene Strukturen im Kardinalskollegium der frühen Neuzeit (1500–1800)*, vol. 2, Frankfurt am Main 1996, p. 439 (tabella XVII et 50).

lumen vitae aspexerunt: Tiberius (10 II 1577–1629), Octavius Angelus (1578–17 VIII 1614), Porcia (* 15 X 1581) et Prudentia (14 XII 1584–1624)¹². E quibus Horatius natu maximus ad summos honores pervenit.

HORATIUS LANCELLOTTI (8 XII 1571–9 XII 1620)

Ille nepos cardinalis Scipionis et Pauli V pontificis maximi patricius Romanus fuit et canonicus basilicae Romanae S. Petri. Primum referendarius utriusque signaturae in tribunali quodam Curiae Romanae fuit. Avunculo eius, cardinali Scipioni Lancellotti, Gregorius XIII pontifex maximus promisit Horatium munus auditoris S. Rotae post eum suscepturum esse, quod factum est die 26 mensis Iulii anno 1596, cum 22 annos natus esset, sed iam Clemente VIII pontifice maximo¹³. Die 14 mensis Octobris anni 1609 munus in Poenitentaria Apostolica a Paulo V pontifice maximo datum suscepit¹⁴. Cum 40 aetatis annos explevisset, cardinali Michaele Angelo Tonti rogante ab eodem papa, qui eius sapientiam et pietatem maximi fecit, die 17 mensis Augusti anni 1611 cardinalis presbyter ecclesiae S. Salvatoris Lauranae factus est¹⁵. Postea, id est die 9 mensis Aprilis anni 1616, praefectus Congregationis Concilii est creatus¹⁶. Inde ab anno 1616 pontificem maximum adhortatus est, ut Congregationem de Propaganda Fide institueret¹⁷. Iam anno 1617 auditorem suum Franciscum Ingoli elegit, qui tempore postero secretarius eiusdem Congregationis inclaruit. A patruo card. Scipione palatum ad viam de' Coronari situm hereditate accepit, quem magnifice ornavit¹⁸. Romae 49 annos natus mortuus et in basilica

¹² Cfr Lauro, APL: Anno 1570–1632. Lancellotti di Roma – Notizie genealogiche sulle famiglie di Paolo Lancellotti e Giulia Delfini, di Tiberio Lancellotti e Laura Marciano, di Scipione Lancellotti e Claudia de Torres, sine sign.

¹³ Cfr E. Cerchiari, *Capellani papae et Apostolicae Sedis auditores causarum Sacri Palatii Apostolici seu Sacra Romana Rota ab origine ad diem usque 20 Septembbris 1870*, vol. 2, Roma 1921, p. 127-128.

¹⁴ Altro di deputazione di reggente della Sacra Penitenziaria Apostolica a favore di Monsignore Orazio Lancellotti, li 12 XII 1609 – cfr Lauro, APL: Inventario 1728, f. 3v – Arm. B 2, Parte p. a., Mazzo C, n. 12; ibidem, Inventario 1833 „B”, f. 8v.

¹⁵ Cfr G. Moroni, *op. cit.*, vol. 37, p. 87 (*Lancellotti Orazio, cardinale*). Horatius anno 1610 primam patrui sui ecclesiam cardinalem S. Simoni dicatam restauravit.

¹⁶ Breve di deputazione dell'ufficio di deputato della Congregazione del Concilio spedito a favore del Cardinale Oratio Lancellotti, li 9 Aprile 1616 – cfr Lauro, APL: Inventario 1728, f. 3v – Arm. B 2, Parte p. a., Mazzo C, n. 15; ibidem, Inventario 1833 „B”, f. 9r. Cfr etiam: *La Sacra Congregazione del Concilio – quarto centenario dalla fondazione (1564–1964). Studi e ricerche*, Città del Vaticano 1964, p. 271.

¹⁷ Cfr L. Pastor, *Storia dei papi*, vol. 13, Roma 1931, p. 615.

¹⁸ Cuius palatii, a Tribunali Viarum empti, accommodationem suscepit card. Scipio Lancellotti, ante annum, ut videtur, 1593. Die 6 X 1593 petivit, ut frontem aedificii fieri liceret (Lauro, APL: Inventario 1833 „B”, f. 3v, n. 6). Accommodationem palatii anno 1620, brevi ante quam ex aere alieno laborans mortuus est, card. Horatius Lancellotti ad finem adduxit. Is picturas udo inductas conficiendas curavit, quas pinxerunt: Guercino in tabulatu infimo, Guido in capella, Augustinus Tassi in aula ingressus. Praeterea imaginibus pictis, statuis aliisque rebus arte factis palatium ornavit (cfr Lauro, APL: Anno 1570–1632, II. Notizie genealogiche, sine sign., f. 9). Cfr etiam: G. Moroni, *op. cit.*, vol. 37, p. 87.

Lateranensi S. Ioannis in capella familiari sepultus est¹⁹. Uterque cardinalis e Lancellotorum gente effecit, ut alii consanguinei ad honores efferrentur²⁰.

E sequentibus fratribus futuri nuntii Franciscus iam 13 annos natus clericus Romanus fuit, postea autem abbas commendatarius Pedemontanus. Admodum adulescens mortuus est²¹. Octavius Angelo, utriusque iuris doctor, iuvenis 36 annorum in Flandria obiit²². Tiberius anno 1592 fere clericus Romanus et alter abbas commendatarius Pedemontanus fuit, quem illa familia tulit²³. Deinde Lauram Marciano uxorem duxit. Etiam filius eorum nomine Scipio (* 20 III 1609)²⁴ adulescens clericus fuit et lineam Romanam Lancellotorum familiae continuavit²⁵. Is anno 1631 Claudiam de Torres uxorem duxit, card. Cosmi de Torres fratris filiam, qui olim nuntius papalis apud Polonus fuit, protector Rei Publicae apud Sedem Apostolicam, cum Ioanne Baptista Lancellotti nuntio firmis vinculis coniunctus. Claudia propter matrimonium vitae religiosae renuntiavit. Dotis nomine palatum Romanum familiae de Torres ad Piazza Navona situm accepit²⁶. Quibus rebus factum est, ut Lancellotorum familia inter gentes patricias Romanas excellere inciperet.

E decem liberis Scipionis et Claudiæ quattuor filiae ad ordines sese applicaverunt: Maria-Iulia in monasterio S. Mariae Magdalena in Monte

¹⁹ Cfr G. Moroni, ut supra; Lauro, APL: Elogii, f. 3r, 4r, 5r; *Hierarchia Catholica medii et recentioris aevi* (infra citatur: HC), vol. 4, Padua 1967², p. 12.

²⁰ Verisimile videtur eum a Paulo V pontifice maximo die 10 III 1615 ius honores gestos nepotibus testamento tradendi accepisse. Quod privilegium multo prius, die 1 IV 1592, card. Scipio Lancellotti accepit: *Facolta concessa al Signor Cardinale Scipione Lancellotti di poter transffire le pensioni, che il medesimo gode, ad altre persone ecclesiastiche, I Aprile 1592* – Lauro, APL: Inventario 1728, f. 38 – Arm. A, n. 6; ibidem; Inventario 1833 „B”, f. 8v.

²¹ Cfr ann. 8.

²² Cfr Lauro, APL: Elogii E, f. 7r.

²³ *Dimisoria per la tonsura ottenuta dal Signor Abbate Tiberio Lancellotti chierico nobile, edito avanti l'Emo. Vicario, li 6 V 1591* – cfr regestrum documenti Lauri asservati: Lauro, APL: Inventario 1728, f. 55r. Ibidem asservatum est exemplar brevis in charta membranea scripti (45,3 cm x 25,1 cm), sigillo e lacca signatoria ornati, die 26 VIII 1603 nomine Clementis VIII pontificis maximi Tiberio ut clero Romano conscripti, ex quo caelebs abbatiae redditibus uti potuit. Cfr Lauro, APL: Pergamene, fasc. 29, n. 10; Inventario 1728, f. 3v Arm. B, Parte p. a., Mazzo C, n. 10; ibidem, Inventario 1833 „B”, f. 8r.

²⁴ Quod testatur regestum documenti a Clemente VIII die 12 XII 1624 confecti, cfr Lauro, APL: Inventario 1728, f. 3v – Arm. B, Parte p. ma., Mazzo C, n. 20.

²⁵ Scipio anno 1629 quinque milia scudorum Jesuitis dono dedit, ut capellam S. Aloysii Gonzaga Romae erigerent atque ornarent. Sed usque ad annum 1699, quo capella demum exaedificata est, 41 milia 710,5 scudos impedit. Cfr Lauro, APL: Anno 1570–1632, II. Notizie genealogiche, sine sign., f. 14.

²⁶ Palatii formam delineavit Pirro Ligoria, aedificium erexit Torres quidam, qui ex America nuper reperta revertit. Cfr Lauro, APL: Anno 1570–1632, II. Notizie genealogiche, sine sign., f. 14-15. Scipio Lancellotti possedit etiam hortum Romae ad Portam Piam situm. Cfr Lauro, APL: Inventario 1728, f. 135v.

Casalto²⁷ degit, dum in nobilissimo conventu Romano Torre de' Specchi, ad congregationem oblatarum Benedictinarum pertinente, commoratae sunt: Agnes Margarita²⁸, Victoria Maria (quae monacha Annam Teresiam se appellavit)²⁹ et Catharina³⁰.

Iam Tiberius Lancellotti, cum epum Ioannem Baptistam, fratrem suum, visitaret, animum advertit ad praedium feudale Lauranum (prope eius sedem episcopalem Nolanam in regno Neapolitano situm), quod inde ab anno 1541 ad Pignatellorum familiam pertinebat, cum quo titulus marchionis Laurani coniunctum erat, ubi iam duo Lancellotti ecclesiam titularem cardinalem habebant. Sed demum Scipio, cum Claudiam de Torres anno 1632 uxorem duxisset, id praedium a Camillo Pignatelli una cum castello et loco Casale³¹ dicto emit et Philippo IV rege Hispaniae permittente 120 milia ducatorum solvit. A quo tempore usque ad hunc diem Laurum Lancellottorum gentis sedes est. Etiam Scipionis Lancellotti nepotes marchionis titulo uti cooperunt. Saeculo XVII familia cum aliquot gentibus Italicis amplissimis affinitatem iunxit: Marciano, Gabrieli, Chigi, Ginetti, Mascettola et Chigi Montori³².

²⁷ Secunda eorum proles fuit, cfr Lauro, APL: Anno 1570–1632, II. Notizie genealogiche, f. 15r, et ibidem regestum, in quo legimus eam ut religiosam a patre Scipione Lancellotti centum „scudi anni” accepisse, Lauro, APL: Inventario 1728, f. 62r.

²⁸ Cfr Lauro, APL: Anno 1570–1632, II. Notizie genealogiche, f. 15r, et ibidem asservatum regestum documenti, quod testatur die 6 II 1653 donationem factam esse: Lauro, APL: Inventario 1728, f. 136 – Arm. A, Parte p. ma.

²⁹ Cum iam soror religiosa Anna-Teresia esset, die 16 I 1690 fratri suo natu minimo centum scudorum legavit. Cfr Lauro, APL: Inventario 1728, f. 136r.

³⁰ Cfr Lauro, APL: Anno 1570–1632, II. Notizie genealogiche, f. 15r.

³¹ Sunt viri docti, qui credant Laurum saeculo ante Christum natum XIII conditum esse. Quod oppidum scimus anno ante Christum natum fere 200 coloniam Romanam fuisse. Vallis pulchra, in qua Laurum situm est, per loci naturam saepe refugio Romanis fuit, cum Carthaginenses Italianam invaderent. Saeculo post Christum natum XIII Laurum feudum factum est, cum quo titulus marchionis coniunctus erat. Quo titulo quidam putant primum Raimundum Vaudelmont ornatum esse, qui e Provincia una cum Carolo Andegaveno, protectore suo, venit. Post id tempus alii quoque viri Lauro sunt potiti: anno 1278 Bertrandus del Balzo, anno 1462 Romanus Orsini, Scipio Pignatelli, denique Scipio Lancellotti. Cfr A. Minieri, *Compendio della Terra di Nola*, Nola 1973, p. 146. Annis inequentibus arcem possidebant viri e familia Lancellottorum hi: Octavius, Scipio, Horatius, Octavius II, Scipio, Camillus, Philippus, Iosephus, Philippus. Nunc autem arcem tenet denuo Pietro Lancellotti Romanus. Cfr ibidem, p. 66–67.

³² Saeculo XVIII familia novis honoribus aucta est. Carolus VI imperator anno 1726 familiam Lancellotti ad dignitatem principalem extulit permisitque, ut possideret privilegia et bona familiae Ginnetti, quae duos cardinales tulit. Familia Ginnetti e Velitris originem duxit, quod est oppidum a Roma ad orientem spectans. (Pars bonorum familiae Ginnetti hereditate Lancellottis veniebat, saltem inde a die 17 XI 1645, cum marchio Scipio Franciscus Lancellotti possesiones eorum in Roccagorga accepit, cfr Lauro, APL: Inventario 1728, f. 135v, et cum Teresia Bizzoria Ginnetti Lancellotti in matrimonium iit, quod factum est die fere 19 V 1649, ibidem f. 4r. Cfr etiam F. Menicucci, *Biografia inedita dell’abbate Gianfrancesco Lancellotti (1721–1788)*, Ascona 1908, p. 479–493) Non liquet, cur titulus „dux Lauro”, quem ramus familiae Lancellotti, de quo agimus, est assecutus, usque ad annum 1865 in regestris ducum Romanorum defuerit. (Quod ita

De aliis Lancellottis, qui Ecclesiae serviverunt

Quod ad viros remotiore affinitate cum nuntio Lancellotti coniunctos pertinet, fuerunt, qui eo vivo et postea Ecclesiae servirent: Andreas Lancellotti, episcopus Vitoniensis, Henricus, Augustinianus, Conradus et Robertus – hi omnes disputationes theologicas scripserunt³³. Ioannes Paulus Lancellotti (1522–1590), Perusinus, Universitatis Perusinae professor, iuris feudalis peritus fuit. Ad studia reformanda plurimum contulit. Etiam hodie iuris peritus magni aestimatur³⁴. Lancellottus Secundus Lancellotti (1583–1643), etiam Persinus, fuit praedicator Benedictinus, scriptor et „abbate olivetana da Foligno e Fabiano”³⁵. Saeculo autem XVIII vixerunt Philippus Lancellotti (1732–1794). Is fuit non solum iuris peritus et presbyter, sed etiam poeta. Inde ab anno 1759 quotannis in Hebdomada Maiore et festo Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae in palatio Romano in via Coronari posito celeberrimas academias poeticas instituebat³⁶.

2. De eruditione et formatione

De Ioannis B. Lancellotti nuntii eruditione pauca scimus. Quamquam Romae natus est vixitque, nescimus, quas scholas adierit. Cum in fontibus legamus eum bene eruditum fuisse, linguam Graecam et Latinam scivisse, suspicari

fieri solitum esse testatur copiis duarum epistularum, quas Scipio Lancellotti princeps ad generalem Civitatis Romanae et ad Pium VII pontificem maximum anno 1801 scripsit, cfr AS, Famiglie Miscel. 90, fasc. 14, f. 1r-2v. Cfr etiam: *Encyclopedie Storico-Nobiliare Italiana*, vol. 4, Milano 1931, p. 32-33) Denique die 19 I 1865 Philippus Maximilianus (1843–1915), ortus familia Massimo, vetere, potentis et meritis clara, a Pio IX pontifice maximo titulum, insigne et nomen gentis Lancellotorum accepit. Ex eo tempore familia Massimo-Lancellotti, dignitate principali ornata, in „librum aureum” patriciorum Romanorum est relata (*Encyclopedie Storico-Nobiliare Italiana*, vol. 4, p. 33). Nostris temporibus viri hac familia orti adhuc non solum societatibus ecclesiasticis Romanis sed etiam variis institutis Unionis Europaea inter sunt. Dignum est, quod memoremus Iosephum et Ludovicum Lancellottos anno 1937 effecisse, ut Bibliotheca Vaticana libris manu scriptis locupletaretur, quorum singula volumina signatura Vat. Lat. 14081 usque ad 14094 ornata sunt. Cfr J. Bignami Odier, *La Bibliothèque Vaticane de Sixte IV à Pie XI* (Biblioteca Apostolica Vaticana. Studi e Testi 272), Città del Vaticano 1973, p. 263 et 278.

³³ Scripta eorum ad nostra tempora asservata sunt Romae in Biblioteca Angelica.

³⁴ Cfr G. Leone, *Lancellotti Giovanni Paolo*, in: *Encyclopedie Cattolica* (infra citatur: ECat), vol. 7, Città del Vaticano 1951, col. 876-877; post G. Leone vitam eius scripsit K. Weinzierl, in: *Lexikon für Theologie und Kirche* (infra citatur: LThK), vol. 6, Freiburg im Breisgau 1961, col. 771.

³⁵ Cfr epistulas, quas ad card. Maffeum Barberini scripsit, quae in BV Barb. Lat. asservantur.

³⁶ Cfr G. Moroni, *op. cit.*, vol. 37, p. 87; M. de Camillis, *Lancellotti Filippo, cardinale*, in: ECat, vol. 7, col. 876.

possumus primum in scholam humanisticam venisse³⁷. Die 13 XI 1591 in album studiosorum Universitatis Perusinae relatus est³⁸. Fortasse rationibus familiaribus adductus est, ut hanc scholam elegerit: saeculi XVI parte posteriore in Universitate Perusina Ioannes Paulus Lancellotti (1522–1590)³⁹, vir omnibus gratus acceptusque, iuris professor floruit. Ioannes Baptista una cum aliis consanguineis studiis vacavit. Die 29 III 1593 senatores Perusini in numerum civium suorum patriciorumque tres Lancellottos receperunt: Horatium, Ioannem Baptistam et Octavium Angelum⁴⁰. Iuvenibus, qui Perusiam venerunt, civitate urbana donatis in convictu academico habitare licuit, quae res studia faciliora reddebat. Ioannes Baptista Lancellotti 18 fere annos natus tum fuit. Conicere possumus eum studia iuris absolvisse ac saltem titulum magistri assecutum esse. Quod bullis pontificis confirmatur, in quibus nomen Ioannis Baptista eo titulo ornatum iam inde ab anno 1605 occurrit. Cum magistratus, quos in Curia gessit, obtinere non potuerint nisi ii, qui doctoris laurea sunt ornati, verisimile videtur Ioannem Baptistam doctoris gradum dignitatemque adeptum esse⁴¹.

³⁷ Lauro, APL: *Elogium*, f. 4r; ibidem manuscriptum sine sign. f. 10, ubi verba tumulo (qui est in cathedra Nolana) epi Ioannis Baptistae Lancellotti inscripta leguntur; G. Remondini, *Della Nolana Ecclesiastica storia*, vol. 3, Napoli 1757, p. 291. Lancellotti Romae studiis non vacavit, quamquam usque ad annum 1654 in usu fuit, ut futuri nuntii formationem humanisticam, iuridicam et theologicam loco, quo habitarent, consequerentur. Cfr M. Völkel, *Die Sapienza als Klient. Die römische Universität unter dem Protektorat Barberini und Chigi*, „Quellen und Forschungen aus Italienischen Archiven und Bibliotheken“ (infra citatur: QFIAB) 70 (1990), p. 491–512.

³⁸ Contigit nobis, ut statueremus die 13 XI 1591 Horatium et Ioannem Baptistam Lancellottos studia in Universitate Perusina suscepisse. In libro studiosorum, quorum nomina in album sunt relata, legimus: „Ego Horacius Lancelottus, Romanus, die 13 Novembris”, „Ego Iohannes Baptista Lancelottus, Romanus, die 13 Novembris 1591” – cfr Perugia, Arch. Univ. di Perugia: Matricula Scholalium ab an. 1540 ad an. 1651, f. 59. Libro O. Scalvanti, *Inventario-registro dell'Archivio Universitario di Perugia*, [Perugia 1898], usi in vanum statuere temptavimus, utrum Lancellottorum quidam doctoris gradum esset assecutus, an non. Scalvanti monuit doctores annis 1517–1537 creatos secundum oppida, ex quibus venissent, conscriptos esse (cfr Perugia, Arch. Univ. di Perugia: *Gesta e Collegii I.B1 – Carte 215*), sed alterum quoque indicem doctorum fuisse, qui annis 1599–1604 gradum suum essent adepti (cfr ibidem: Fondo VI.B1 – Carte 192); O. Scalvanti, *op. cit.*, p. 26 et 34.

³⁹ Cfr O. Scalvanti, *Cenni storici della università di Perugia*, Perugia 1910, p. 42–45, 52–53.

⁴⁰ Cfr Lauro, APL: Inventario 1728, f. 55r; ibidem charta, in qua documentum deperditum, ex quo tres Lancellotti civitate Perusina sunt donati, hac nostra aetate transcriptum legitur: „[...] Orazio, Giovanni ed Ottavio fratelli Lancellotti, figli di Paolo, il 29 marzo 1593 [...].” Cfr etiam: Lauro, APL: Inventario 1833 „B” f. 3v, n. 5 ubi legitur: „Privileggio della cittadinanza di Perugia concessa della communita di detto luogo al Signore Orazio, Giovanni Battista et altri Lancellotti, li 29 marzo 1593”. Cuius documenti regestum in Archivo Publico Perusino quoque asservatur.

⁴¹ Nulli tamen fontes testantur Ioannem B. Lancellotti doctoris gradum adeptum esse. Fortasse a consanguineis potentibus adiutus sine doctoris dignitate in honoribus promotus est. Frater Ioannis natu maior, Horatius, cardinale Scipione, avunculo suo, favente 22 annos natus sine magisterio auditor Rotae Romanae die 26 VII 1605 factus est, quamquam per nullos prius honorum solitos gradus ascendit. Idem de Ioanne Baptista verisimile est.

3. De cursu honorum curialium et publicorum

In cursu honorum ecclesiasticorum, quos Ioannes Baptista Lancellotti adep-tus est, quattuor partes conspici possunt:

1. usque ad annum 1605 in Curia Romana occupatus fuit;
2. annis 1605–1624 gubernatoris et vicelegati munera in aliquot provinciis Status Ecclesiastici explevit;
3. annis 1615–1655 episcopus Nolae fuit et dioecesim Nolanam prope Neapolim sitam rexit;
4. circa diem 23 XI 1622 – 25 VI 1627 quinque fere annos nuntius aposto-licus apud Polonus fuit.

Honores, quos Ioannes Baptista gessit, alios quoque viros inde a pontifi-catu Gregorii XIII (1572–1585) usque ad pontificatum Pii X (1903–1914) gessisse Henricus Biaudet ostendit⁴². Qui cursum honorum curialium am-plecti statuit, primum fuit abbreviator et secretarius inferior vel in Curia Romana vel in quadam nuntiatura. Deinde futurus politicus papalis refe-rendarius⁴³, protonotarius⁴⁴, auditor Rotae Romanae⁴⁵ vel secretarius superior⁴⁶ creabatur et occupatus erat in provincia quadam Status Ecclesias-tici vel in nuntiatura extranea. Plerumque fiebat, ut ad dignitatem protonotarii apostolici, referendarii utriusque signaturae vel auditoris Rotae Romanae elatus episcopus crearetur et – usque ad annum 1648 – dioecesim quandam Italicam regendam susciperet, postero autem tempore non acciperet nisi se-dem titularem. Episcopus recens statim munus in nuntiatura secundae catego-riiae accipiebat, post tempus quoddam in nuntiaturam primae catego-riiae transibat. Ad summum cacumen veniebat is, qui munere quodam gravi in Curia Romana fungebatur et – quod saepissime fiebat – in Collegium Pa-trum Cardinalium est receptus. Utraque via, et ea minus certa per gradus Curiae Romanae ascendens, et illa cum munere nuntii apostolici coniuncta, eodem ferebat: ad cardinalatum adipiscendum⁴⁷.

⁴² Cfr H. Biaudet, *Nonciature*, in: *Dictionnaire historique de la Papauté* (infra citatur: DHP), curavit P. Levillain, Paris 1994, p. 1349-1351.

⁴³ Cfr DHP, p. 1646 (*Tribunaux apostoliques, Le tribunal suprême de la Signature aposto-lique*).

⁴⁴ Cfr DHP, p. 1646 (*Protonotaire*).

⁴⁵ Cfr DHP, p. 169 (*Auditeur de Rote*), 1490-1493 (*Rote /Tribunal de/*), 1640 (*Tribunaux apostoliques, Le tribunal de la Rote Romaine*).

⁴⁶ Addendum est usque ad aetatem Innocentii XII pontificis maximi (1691–1700) ei, qui honorem amplum in Curia Romana gerere voluisset, magnam pecuniam solvendam fu-issee. Protonotarius 10 500 scudos solvere debebat, abbreviator – 14 200, auditor Cameræ Apostolicae – 56 000. Cfr R. Ago, *Carriera e clientele nella Roma barocca*, Bari 1990, p. 124-125.

⁴⁷ Cfr DHP, p. 190 (*Barette cardinalice*); LThK, vol. 2, p. 478 (*Birett*).

Usque ad annum 1605 in Curia Romana occupatus

Verisimillimum videtur Ioannem Baptisam Lancellotti splendore potentis familiae Romanae et dignitate duorum proximorum adiutum in honoribus curialibus celeriter promotum esse. Anno 1598 obiit card. Scipio Lancellotti, avunculus eius, qui auditor Rotae et secretarius brevium fuit. Horatius, Ioannis Baptistae frater natu maior, qui anno 1611 cardinalis est factus, quando in Curia Romana occupatus esse coeperit, quando munus auditoris Rotae suscepit (fortasse iam die 26 VII 1605), nescimus. Utcumque se res habuit, Ioannes Baptista Lancellotti iam studia sua absolvit et favore consanguineorum uti potuit.

Iam supra monuimus Ioannem Baptisam non plures quam quinque vel septem annos in Curia Romana servivisse. Quibus annis beneficium et dignitatem „canonici basilicae Vaticanae S. Petri” (ante diem 15 VI 1605) accepit⁴⁸ et ex triginta magistratibus Curiae Romanae⁴⁹ duos amplissimos gessit: abbreviator apostolicus⁵⁰ et referendarius utriusque signaturae⁵¹ creatus est. Quod ad abbreviatores pertinet, magistratus erant cancellariae pontificiae, qui documenta conficiebant in forma dispositionis (quae „minuta” vocabatur) et documentorum formam materiamque corrigebant. Usque ad annum 1605 presbyteri abbreviatores loco notariorum erant, a Paulo V pontifice maximo ad locum referendariorum elati sunt.

Quamdiu Lancellotti in cancellaria pontificia occupatus fuerit, non liquet. E cancellaria in Signaturam Apostolicam, id est in summum tribunal Ecclesiae, transiit. Iam inde a medio aevo Signatura in duas sectiones divisa erat: iustitiae et gratiae. In utraque sectione praelati, magistratus Sedis Apostolicae, de causis cognoscebant atque exponebant⁵². Dignum est, quod moneamus tribunal Signaturae gratiae non deliberavisse nisi pontifice maximo praesente. Iudicia Signaturae Apostolicae statim postquam nuntiata sunt, rata fiebant. Numerus praelatorum referendariorum – quorum munere iuvenes nobiles, maximo ingenio praediti, e tota Italia vocati fungebantur – variabat. Anno 1586 septuaginta fuerunt. Sixtus V pontifex maximus (1585–1590), qui Curiam

⁴⁸ Cfr Biblioteca Apostolica Vaticana (infra citatur: BV), Urb. Lat. 1073, f. 327 et ibidem Barb. Lat. 1082, f. 598r, et Lauro, APL: Elogium, sine sign.

⁴⁹ Cfr G. Moroni, *op. cit.*, vol. 7, p. 180 sqq (*Cancelleria della S. Romana Chiesa*).

⁵⁰ Quod significavit H. Biaudet, *Les nonciatures apostoliques permanents jusqu'en 1648*, Helsinki 1910, p. 270. Cfr etiam: G. Moroni, *op. cit.*, vol. 7, p. 181 (*Abbreviatori apostolici*).

⁵¹ Qua de re primum legimus in brevi pontificio, Romae die 17 VI 1606 confecto et Lauri asservato (APL, Pergamene fasc. 25 nr 11), ex quo Lancellotti gubernator Arimini factus est. Asservatum est regestum nominationis pontificiae, Romae die 21 VIII 1606 conscriptae, ex qua gubernator Faventiae factus est (AV, Sec. Brev. 410 f. 226rv et 229v); cfr B. Katterbach, *Referendarii utriusque Signaturae a Martino V ad Clementem IX et praelati Signaturae supplicationum a Martino V ad Leonem XIII*, Città del Vaticano 1931, p. 249; ECat, vol. 4, col. 260.

⁵² De tribunalis Signaturae Apostolicae fatis cfr G. Moroni, *op. cit.*, vol. 57, p. 5-10; E. Sztafrowski, *Kuria Rzymska. Studium historyczno-kanoniczne* [De Curia Romana. Studium historico-canonicum], Varsaviae 1981, p. 186-188.

Romanam optime instituit, decrevit, ut tribunali Signaturae gratiae non ades-
sent nisi ii, qui in Signatura iustitiae tres annos servivissent. Illa prima Signatura
e 18 referendariis constabat, in quorum numero 12 iudices periti (qui praelati
votantes appellabantur) erant et 6 iudices, quorum munus erat libellos suppli-
ces cognoscere (qui praelati referendarii vocabantur). Idem Sixtus V bulla
„Laudabili” edita referendarios dignitate, privilegiis et iure aequavit, quo fac-
tum est, ut summis praelatis, qui protonotarii apostolici, *partecipanti* vocabantur,
pares essent⁵³. Ita referendarii utriusque Signaturae vestimentis praelatorum
propriis utebantur et praelati summi a pontificibus maximis vocabantur, ut vi-
sitorum, gubernatorum et legatorum munera explerent.

Annis 1605–1614 officiis vicelegati et gubernatoris Status Ecclesiastici fungitur

Ad Sedem Apostolicam et Secretariatum Status viri familia Romana Bor-
ghese orti elati sunt, cuius familiae nepotem Ioannem B. Lancellotti fuisse iam
supra scripsimus⁵⁴. Die 16 V 1605 card. Camillus Borghese pontifex maxi-
mus creatus est, qui Pauli V nomen sibi sumpsit et annis 1605–1621 Sedem
Petri occupavit, Secretariatu autem Status ab eodem die usque ad diem 28 I
1621 card. Scipio Borghese praefuit. Quibus duobus viris amplissimis cum
Ioanne Baptista Lancellotti eiusque familia Romana amicitiam fuisse epistula
card. Scipionis Borghese Kalendis Decembribus anni 1614 data edocemur,
quam ipso Paulo V pontifice maximo rogante ad Ioannem Baptistam Lancel-
lotti, Campaniae gubernatorem, episcopum Nolae nuper creatum scripsit⁵⁵.
Minime miramur Ioannem Baptistam decem annis, quibus in variis provinciis
Statui Ecclesiastico serviret, a Paulo V iterum atque iterum gubernatorem et
vicelegatum factum esse⁵⁶. Quod primum factum est die 15 VI 1605, cum Io-
annes Baptista, nondum 30 annos natus, missus est – initio gubernator Ariminii
– in Romaniam et exarchatum Ravennae, qui cum ea coniunctus erat⁵⁷. Qui

⁵³ Cfr G. Moroni, *op. cit.*, vol. 56, p. 20-23 (*Protonotarii apostolici*).

⁵⁴ Quod comprobatur studiis prosopographicis a Christophoro Weber publicatis, cfr *op. cit.*, vol. 2, p. 439 (tabella XVII et 50).

⁵⁵ Cfr Reg. AV: F. Borghese I 938 f. 374v-375v.

⁵⁶ Commemorandus est optimus liber Christophori Weber, quo studia sua prosopographica
publici iuris fecit – cfr *Legati e governatori dello Stato Pontificio (1550–1809)* (*Pubblizazioni
degli Archivi di Stato. Sussidi 7*), [Roma] 1994.

⁵⁷ „Roma, 1605, 15 VI. Mercoledì [...] governatore Rimini, Lancellotto il Canonico di
S. Pietro” – cfr BV, Urb. Lat. 1073, f. 327r et 349r; praeterea breve papale facultates criminum
iudicandorum continens, cuius exemplar Roma die 17 VI 1605 confectum Lauri asservatur –
Lauro, APL: Pergamene fasc. 25 n. 11 [in inventario APL anno 1728 confecto in f. 3 habuit
signaturam hanc: Arm. B. parte prima, Mazzo C, n. 11] tradit: „[...] Magistro G. B. Lancellotto
in utraque nostrae signaturae referendario, civitatis nostrae Ariminensis Gubernatori [...]”; asser-
vata est denique minuta epistularum, quas Petrus Aldobrandini, cardinalis Ravennae, inde a die
13 IX 1604 usque ad diem 10 II 1621 ad „Mons. Lancellotti governatore di Rimini” dedit, 1 III
1606, cfr BV, Ottob. Lat. 3252, f. 423r.

locus maximi momenti fuit pontifici maximo tempore, quo controversiam cum Venetiis habuit (1605–1607). Qua re factum est, ut Lancellotti in iurisdictione magnam potestatem haberet⁵⁸. Iam die 12 VIII anno 1606 gubernator Faventiae est factus, quo honore breve tempus functus est⁵⁹. Tribus fere mensibus post aliud munus ei datum est et inde a die 7 XI 1606 tres annos vicelegatus Romaniae, provinciae ecclesiasticae, fuit et Ravennae una cum legato residebat (legatus autem inde a die 3 I 1609 fuit card. Caetano)⁶⁰. Iam die 28 VIII 1609 Romae notum erat Ioannem Baptistam Lancellotti ob causas nobis ignotas reverti voluisse. Scimus praelatum Ridolfi, qui gubernator Faventiae fuit, vicelegatum Romaniae mox factum esse⁶¹. Lancellotti Romam non pervenit, sed inde a die 9 X 1609 usque ad diem fere 23 X 1610 temporibus inquietis fuit vicegovernator Beneventi, „insularis” partis Status Ecclesiastici, quae centum fere chilometra a Campania Romana, proxima provincia, distabat⁶². Lancellotti, cum munus suum explevisset, bullam ab Beneventi incolis accepit, qua grati

⁵⁸ Cfr H. D. Wojtyska, *Papiestwo w XV–XVII wieku w poszukiwaniu własnej tożsamości* [Papatus saec. XVI–XVII identitatem suam quaerit], „Kwartalnik Historyczny” 92 (1985), s. 901–919. Regestum ad facultates Ioanni B. Lancellotti datas pertinens „[...] per poter giudicare nelle cause criminali senza incorrere nelle censure [...]” die 20 VI 1605 confectum asservatur Lauri – Lauro, APL: Inventario 1833, f. 8v.

⁵⁹ Secretarius Status die 11 VIII 1606 documentum edidit, quo mandavit, ut Ioanni B. Lancellotti breve traderetur, ex quo gubernator Faventiae est factus, cfr AV, Sec. Brev. 410, f. 227r et 228v. Cfr etiam significationem, BV, Urb. Lat. 1074, f. 434v. Breve, ex quo Ioannes B. Lancellotti gubernator Faventiae factus est, Romae die 12 VIII 1606 conscriptum est, cfr AV, Sec. Brev. 410, f. 226rv et 229v.

⁶⁰ Minuta brevis, ex quo vicelegatus Romaniae est factus, ubi legitur: Romae die 7 XI 1606, cfr AV, Sec. Brev. 413, f. 130r; cfr exemplaria epistularum, quas Ioannes B. Lancellotti Ravenna diebus 13, 24 et 26 I 1608 ad card. Scipionem Borghese misit – AV, F. Borghese III 43AB, f. 231r et 313v, 288r et 295v, 307r, atque exemplaria epistularum, quas posteriore tempore ad eundem virum Ravenna die 25 III 1608 (AV, F. Borghese III 41B, f. 80r et 90v) et die 16 IV 1608 misit (AV, F. Borghese III 132B, f. 57r et 64v). Pervenerunt ad nostra tempora epistulae, quas card. Caetano († 24 VI 1617), legatus Romaniae, ad card. Borghese dedit, in quibus inter alia Ioannes B. Lancellotti vicelegatus Romaniae optimus laudatur: Ravennae, die 22 VII 1609 in: AV, F. Borghese I 932, f. 124v–125r et Ravennae, die 3 X 1609 in: AV, F. Borghese I 954, f. 94v. Ioannes Stephanus Remondini in suo libro celeberrimo, qui *Della Nolana Ecclesiastica storia* inscribitur, fortasse verbis tumulo Nolano epi Ioannis B. Lancellotti inscriptis adductus contendit eum vicelegatum Bononiae quoque fuisse. Nobis de ea re in Archivio di Stato et Bononiae in Biblioteca Comunale dell’Archiginnasio quaerentibus non contigit, ut opinionem illius viri docti novis confirmaremus argumentis. Monendum est etiam nomen Ioannis Baptista vicelegati Bononiae deesse in indice, quem M. Pasquale et M. Ferretti confecerunt: *Cronotassi critica dei legati, vicelegati e governatori di Bologna dal sec. XVI al XVIII*, in: *Atti e Memorie della Deputazione di Storia Patria per le Province di Romagna*, n. s. vol. 23, Bologna 1972, p. 117–301.

⁶¹ Cfr BV, Urb. Lat. 1077, f. 415r–417r: „Avvisi di Roma, 29 VIII 1609. [...] In Romagna succedera Monsignor Ridolfi, Governatore di Faenza, allo vicelegato di quella provincia, che vien renunciata da Monsignor Lancellotto Refrendario, che vuol tornar alla Corte [...]”.

⁶² Regesta nominationis, ex qua vicegovernator Beneventi factus est, ubi dies 17 X 1609 et 28 XII 1609 ascripti sunt, cfr Lauro, APL: Inventario 1728, f. 55r; Inventario 1833, f. 3v. Inde

operam eius maximi aestimaverunt. Autumno anni 1610 in provinciam Marche translatus et gubernator Anconae factus est. Quem magistratum usque ad diem 14 XII 1613 gessit, nam mox gubernator Campaniae Romanae iterum factus est⁶³. Cum in ea provincia esset, Kalendis Decembribus anni 1614 certior factus est eum a Paulo V ad episcopatum Nolae elatum esse⁶⁴.

Igitur monendum est Ioannem Baptistam Lancellotti sex annos fuisse gubernatorem, unum annum vicegubernatorem, tres annos vicelegatum. Quos magistratus amplissimos gessit in quattuor maximis Status Ecclesiastici provinciis: in Romania, Benevento, Ancona (Marca) et Campania Romana.

4. De episcopo dioecesis Nolanae

De dioecesis statu usque ad annum 1615

Caput dioecesis, quam anno 1615 ineunte Ioannes Baptista Lancellotti regendam suscepit, fuit oppidum ad orientem a Neapoli situm, saeculo ante Chr. natum VI conditum, anno post Chr. natum 455 a Vandals deletum, anno 647 refectum, quod usque ad annum 1269 pars ducatus Beneventi erat, anno autem 1528 a rege Neapolitano regi coeptum est. Cuius oppidi Campani antiquissimi ac ditissimi primus episcopus fuit S. Felix, inter successores eius inclaruit autem S. Paulinus Nolanus. Saeculo X Nola metropolia fuit, cuius dioecesis suffraganea fuit dioecesis Salernitana. Inde a saeculi XII parte posteriore dioecesis Nolana non habuit nisi circiter 20 chiliom.² et eo saeculo dioecesis suffraganea Neapolis facta est⁶⁵.

Antequam Ioannes B. Lancellotti episcopus creatus est, dioecesim inde a Kalendis Iuliis anni 1585 administravit Fabricius Gallo, qui cathedram sub titulo Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae et SS. Martyrum Felicis et Paulini refecit atque annis 1590, 1592 et 1602 synodos episcopales peregit⁶⁶. Cum quattuor postremis vitae annis minus commoda valetudine uteretur, anno

a die 10 IV 1607 usque ad diem 4 IV 1616 sedem episcopalem Beneventanam occupavit card. Pompeius Arigoni. Cfr P. B. Gams, *Series episcoporum Ecclesiae Catholicae*, Ratisbonae 1873, p. 673.

⁶³ Significationes – „1614 G. B. Lancellotti, Governatore di Marettima e Campagna” – BV, Barb. Lat. 883, f. 336v; „G. B. Lancellotti ... Governatore generale della Provincia di Campagna, anno 1614” – BV, Borg. Lat. 884, f. 142r.

⁶⁴ Cfr BV, Borg. Lat. 884, f. 336v: „1614 – Gio. B. Lancellotti, Romano, che fu eletto da Paolo V vescovo di Nola”.

⁶⁵ Cfr ECat, vol. 8, col. 1912-1916. Cum dioecesim Nolanam Ioannes B. Lancellotti regendam susiperet, Decius Caraffa metropoliam Neapolitanam administravit (quem magistratum inde a die 7 I 1613 usque ad diem 24 I 1626 gessit). Cui metropolitae successerunt hi: Franciscus Buoncompagni (2 III 1626 – XI 1641) et Ascanius Philanarini (16 XII 1641 – 3 XI 1666).

⁶⁶ Quod legimus in relatione anno 1605 confecta, cfr AV, S. Congregationis Concilii: Relationes 584A, Nolan., f. 494v (infra citatur: AV, Nolan. anno relationis adjuncto).

1610 visitationem dioecesis agendam Antonio Cuboni, canonico gremiali, et uni capituli socio commisit, anno autem 1613 Ioannem Baptistam Vincenta canonicum *ad limina* proficisci iussit. Anno 1610 cathedralm amplificavit ornavitque⁶⁷, anno autem 1613 in parte quadam cathedralae sacristiam fecit, in qua capellam aedificavit et in ea reliquias S. Felicis, eius ecclesiae episcopalnis conpatroni, posuit. Oppidum Nola, caput episcopale, praeter cathedralm Deiparae Assumptae et SS. Martyrum Felicis et Paulini (saeculo XIV exeunte aedificatam) iam inde a saeculo XVI octo alias ecclesias habuit. Sed de rete parochiali, quod dicitur, huius dioecesis saeculi XVII parte priore nihil fere scimus. Ex actis visitationis episcopalnis anno 1615 medio magna cum industria diligentiaque peractae efficitur id rete per plures quam 30 ecclesias in 9 oppidis cucurrisse.

Ex omnibus, quae supra rettulimus, conici potest capitulum cathedrale institutum esse, cui Paulus V (1605–1621) quattuor dignitates permisit: decani, cantoris, archidiaconi et thesaurarii. Cui capitulo etiam 20 canonici capitulares et 12 gremiales interfuerunt. Defuit tamen theologus et poenitentiarius. Totum capitulum cotidie missam et breviarium celebravit⁶⁸. Alterum capitulum fuit Sommae apud ecclesiam canonicorum eremitarum S. Augustini habuitque praepositorum, cantorem, thesaurarium, praebendam theologi et pecuniam ad duos canonicos gremiales sustentandos⁶⁹. Seminarium clericale, quod anno 1568 conditum est, suum programma didacticum habuit et 13 clericos ad presbyteratum informavit⁷⁰. Iuvenes, imprimis eos nobili loco natos, Iesuitae in collegio celeberrimo Nolae anno 1560 condito erudiverunt.

Quod ad ordines viriles illius temporis pertinet, non invenimus nisi unam mentionem, qua edocemur in sanctuario Madonna del Arco 12 dominicanos degisse⁷¹, Nolae autem franciscanos observantes et Iesuitas. Hi inde ab anno 1560 usque ad annum 1767 curam dioecesis habuere. Maria Sanseverino, Henrici Orsini (†1560) viduata coniunx, anno 1560 Orsinorum palatum viris religiosis dono dedit, quo factum est, ut Nolam venire possent. Iesuitae collegium illorum proprium instituerunt, quod in Italia meridionali fama non cessit nisi collegio Neapolitano⁷².

Quod ad ordines feminiles, quae plures virilibus fuerunt, pertinet, plura in fontibus inveniri possunt. Nolae quique tales ordines fuerunt, quorum curam

⁶⁷ Cfr AV, Nolan. 1610, f. 520r; AV, Nolan. 1613, f. 512r.

⁶⁸ Cfr AV, Nolan. 1605, f. 494r.

⁶⁹ Cfr AV, Nolan. 1605, f. 520r.

⁷⁰ Cfr AV, Nolan. 1605, f. 495r. Quo tempore episcopus, cum seminarium primum visitaret, inter alia dimidiā partem beneficii cathedralis ei dedit; G. Remondini, *Della Nolana ecclesiastica storia*, vol. 3, Napoli 1757, p. 291.

⁷¹ Cfr AV, Nolan. 1605, f. 519v.

⁷² F. Palliola, *La reggia degli Orsini di Nola*, in: *Partitio Repubblicano Italiano. Sezione di Nola e Piazzola. Impegno del Partito per la citta di Nola*, [Nola] Convegno del 18 marzo 1986, p. 15

spiritualem Iesuitae habuerunt, Lauri – quattuor, Sommae – unus conventus sororum Franciscanarum. Scimus anno 1594 pestilentia saeviente numerum domuum religiosarum imminutum esse⁷³.

Quod ad pauperes adiuvandos pertinet, relationes *ad limina* annis 1605, 1610 et 1613 conscriptae tradunt duos „montes pietatis”, id est confratrias christianorum laicorum, Nolae fuisse. Quarum sedes fuit valetudinarium apud ecclesiam S. Iosephi et orphanotrophium, quod Iesuitae rexerunt⁷⁴.

De Ioanne Baptista episcopo facto, de operis sociis, de structuris dioecesanis

Paulus V pontifex maximus die 26 I 1615 bullam edidit, ex qua Ioannes Baptista Lancellotti episcopus Nolae factus est, quae dioecesis inde a die 5 XI 1614, quo Fabricius Gallo episcopus est mortuus, vacua erat⁷⁵. Primus de ea nominatione scripsit card. Borghese, secretarius Status, in epistula ad Ioannem Baptistam Kalendis Decembribus 1614 data, cum ille adhuc gubernator Campaniae esset⁷⁶. Nolanis autem quibusdam de episcopo creato secretarius nuntiavit demum die 12 XII 1614⁷⁷. Pars dotis eius dioecesis (1000 scudi) mercedem card. Horatii, fratribus Ioannis Baptiste, auxit⁷⁸, beneficium autem eius, quod cum dignitate „canonici S. Petri” coniunctum erat, abbas Pignatelli accepit, pincerna cardinalis Borghese⁷⁹. Aliud breve papale die 7 II 1615 editum dotem dioecesis constituit⁸⁰. Die 15 III 1615 Ioannes Baptista consecratus est, die autem 9 IV, quae fuit Dominica Palmarum, eiusdem anni sollemnem ingressum egit ac dioecesim Nolanam regendam suscepit⁸¹. Addendum est Ioannem Baptistam abbatem commendatarium propinquae abbatiae Benedictinæ S. Petri in Pedemonte prope Casertam et „Decanum Regni” (*Decano il Regno*), qui vocabatur, quoque fuisse⁸². Triennio post die Omnia Sanctorum Paulus V

⁷³ Cfr AV, Nolan. 1605, f. 495r et 519v.

⁷⁴ Ibidem.

⁷⁵ Exemplar membraneum bullae pontificiae asservatur Lauri – Lauro, APL: Pergamene fasc. 25 (sine num.); quod ad regestum facultatum a Paulo V Ioanni B. Lancellotti die 27 I 1615 datarum, cfr AV, Sec. Brev. 518, f. 371rv.

⁷⁶ Cfr AV, F. Borghese I 938, f. 374v-375v; cfr etiam significationem Roma die 3 XII 1614 missam (BV, Urb. Lat. 1082 f. 598r) et significationem die 6 XII 1614 missam (ibidem f. 615r).

⁷⁷ Cfr AV, F. Borghese I 938, f. 384rv.

⁷⁸ Cfr BV, Urb. Lat. 1082, f. 615r.

⁷⁹ Cfr BV, Urb. Lat. 1082, f. 598r.

⁸⁰ Cfr AV, Sec. Brev. 620, f. 109r-110r.

⁸¹ Qua die id factum esse putat G. Remondini, *op. cit.*, vol. 3, p. 291.

⁸² Quam abbatiam Lancellotti Scipione patruo mortuo anno 1598 accipere potuit. Habuit autem sine dubio anno 1614, quod actis in archivio Casertano asservatis confirmatur. Abbatiam usque ad vitæ finem retinuit. Tabulae abbatiales acceptorum expensorumque annis 1623–1626 confectae in archivio Nolano asservatae sunt. Titulum supra commemoratum (*decano il Regno*) significatio continet haec: „Di Roma, li 31 Iuglio 1655, è venuto avviso della morte di monsignore Lancellotti, vescovo di Nola, seguita alla sua Chiesa in età di 83 ed 42 anni di vescovato essendo egli il Decano del Regno” – cfr AV, Avvisi 24, f. 242r.

ornavit Ioannem Baptistam praelatura amplissima („praelato assistente in capella”), id est dignitate praelati ad thronum papalem assistentis (idem concessum est legatis diplomatoriis in capellis pontificiis⁸³).

Ex fontibus et virorum doctorum disputationibus cognoscimus aliquot viros, qui Ioannem Baptistam in muneribus explendis adiuverunt. Scimus episcopum recentem venisse in dioecesim saltem cum duobus operis sociis, quibus officia vicarii generalis et secretarii commisit. Quod ad vicariatum generale pertinet, primus eum honorem (inde a die 19 II 1615) gessit Salomon Liverani, natus Labrone, protonotarius apostolicus et doctor utriusque iuris, qui etiam officialis munera suscepit⁸⁴. Annis 1638–1645 his muneribus functus est abbas Dominicus Ignoli, doctor utriusque iuris⁸⁵, qui mense Februario anni 1615 „clericus de dioecesi Ravennate” dictus secretarius et thesaurarius episcopi Lancellotti fuit.

Inter presbyteros Nolanos, quibus episcopus Lancellotti adeo confisus est, ut absens vel parum validus visitationes agendas vel relationes *ad limina* conficiendas eis committeret, aliquot canonici capituli cathedralis fuerunt. Nominandi sunt viri hi: anno 1625 – Caesar Caraval, anno 1634 – Franciscus Perna, anno 1645 – Iacobus de Salici, anno autem 1648 – Ioannes Baptista Visciani⁸⁶. In numero capitularium fuerunt canonici cathedrales hi: Teforiero Ferrari (anno 1645)⁸⁷, et Ioannes Baptista Tellecchia, decanus captuli, qui unctionem extremam episcopo Lancellotti morienti ministravit (anno 1655). Anno 1653 Ioannes Paulus Lombardo, signator Nolanus, multum valuit⁸⁸. Relationes *ad limina* testantur duo alia capitula fuisse, quae anno 1618 iam iure solum fuerunt. Anno 1659 in dioecesi Nolana quattuor collegiae floruerunt: Sommae, in Mariliani, Lauri et Abellari.

Pestilentia anno 1594 saeviente multae sorores religiosae perierunt⁸⁹, quo factum est, ut nonnullae domus clauderentur. Sed ex fontibus cognoscimus

⁸³ Die 3 XII 1618 Bartholomaeus Dardano Roma significavit feria sexta mane post missam sollemnem a cardinale Borghese propter festum Omnim Sanctorum celebratam Pontificem Maximum nuntiavisse praelatum Lancellotti, episcopum Nolanum, „praelatum assistentem in capella” factum esse; cfr AV, Urb. Lat. 1086, f. 441v. Quam rem inscriptio in tabula marmorea introitum cryptae claudenti quoque testatur: „[...] inter episcopos pontificio solo assistentes a Paulo V erectus [...].” Quae dignitas commemoratur in elogio in honorem Ioannis B. Lancellotti scripto, quod Lauri asservatur – Lauro, APL, Elogium III sine sign. Quae dignitas quantum valuisset, G. Moroni ostendit, cfr G. Moroni, *op. cit.*, vol. 1, p. 301-302 (*Ambasadori*), vol. 55, p. 141-155 (*Prelato, antistes, praesul*).

⁸⁴ Quod comprobatur episcopi decreto, ex quo facultates necessarias accepit. Cfr Forli, BCom: Fondo Piancastelli, Carte Romagna, Busta 255, doc. 129.

⁸⁵ Cfr R. Sorrentino, *La Madonna dell’Arco*, Napoli [1985²], p. 95-96; G. Remondini, *op. cit.*, vol. 3, p. 314.

⁸⁶ Cfr AV, Nolan., f. 20r, 104, 337r, 552r.

⁸⁷ Cfr G. Remondini, *op. cit.*, vol. 3, p. 314.

⁸⁸ Cfr Caserta, AS: Fondo Notariale, scheda 294, n. corda 3231, vol. 29, p. 539.

⁸⁹ Cfr AV, Nolan. 1607, f. 495r.

iam anno 1607 Nolae 4 conventus femininos (quorum curam spiritualem Pares Franciscani observantes habuerunt) et multas virorum domus religiosas, Lauri autem 4 conventus femininos fuisse⁹⁰. Praeterea Nolae duae confraternitates, apud valetudinarium et apud orphanotrophium, floruerunt, apud autem sanctuarium Maria dell'Arco dominicanorum conventus fuit⁹¹.

Quod ad instituta Nolana ab Ecclesia illius loci sustentata vel a presbyteris curata pertinet, nominandum est seminarium posttridentinum anno 1568 conditum. Praeter id seminarium duo alia similiter instituta iuvenes bene educaverunt: Iesuitarum collegium anno 1560 conditum, cui viri praestantes praefuerunt⁹², et simile collegium, ubi quotannis 12 fere puellae ad uxorum et matrum munera obeunda praeparabantur⁹³.

Scimus Nolae orphanotrophium fuisse⁹⁴, ante autem annum 1658 alterum institutum esse. Annis 1618–1658 aegri curabantur in duobus valetudinariis: S. Ioanni Baptista et S. Felicis martyris⁹⁵. Fuit etiam carcer S. Ianuarii, qui episcopo Lancellotti adiuvante renovatus est⁹⁶.

De dioecesis statu annis 1615–1622 et 1622–1628

E fontibus Vaticanis, Nolanis et e virorum doctorum disputationibus de oppidi regionisque historia pauca cognoscimus, qua re fit, ut etiam de statu Ecclesiae Nolanae, qualis usque ad redditum Ioannis Baptistae Lancellotti e Polonia fuerit, pauca exponere possimus.

Primo anno episcopatus sui Ioannes Baptista plenum industriae ac diligeniae se praebuit, nam et totam dioecesim pastor bonus visitavit⁹⁷ et deinde synodus egit⁹⁸. Praeterea amplam domum episcopalem reficiendam suscepit et cathedram pulchrius ornavit, in quam reliquias S. Paulini, unius e primis episcopis Nolanis, Roma apportandas curavit. Cum magnopere id egit, ut iuvenes optima formatione theologica uterentur, annis 1615–1620 auxit coniunxitque beneficia, quibus seminarium sustentabatur. Cum labore Iesitarum et mores iuvenum, qui collegium ab eis rectum adibant, summi faceret, iam anno

⁹⁰ Cfr ibidem.

⁹¹ Cfr R. Sorrentino, *op. cit.*, p. 96; M. Miele, *Il culto alla Madonna dell'Arco. Contributo alla storia della pieta popolare nel napoletano*, Napoli 1966, ms. p. 511, II indices.

⁹² Anno 1626 hos munere functus est p. Marius Mottola, qui eodem anno missiones dioecesanias evangelizandi causa peregit, cfr G. Remondini, *op. cit.*, vol. 3, p. 302.

⁹³ Cfr AV, Nolan. 1607, f. 520r.

⁹⁴ Cfr AV, Nolan. 1607, f. 519v.

⁹⁵ Cfr ibidem, f. 263v (relatio anno 1618 confecta est) et relatio anno 1659 confecta s. f.

⁹⁶ Cfr G. Moroni, *op. cit.*, vol. 48, p. 73 (*Nola*).

⁹⁷ Quod pertinet ad acta huius visitationis peractae diebus 2 V – 17 VII 1615 ex bulla die 28 IV 1615 edita visitatore delegato cooperante, cfr Nola, Archivum Dioecesanum (infra citatur: AD): Serie visite, lib. 8, f. 7-210r.

⁹⁸ Cfr relationem *ad limina* anno 1618 confectam; G. Remondini, *op. cit.*, vol. 3, p. 292.

1615 fraternitatem nobilium, quae apud id collegium prius floruerant, Patre Francisco Tile adiuvante ad novam excitavit vitam⁹⁹. Anno autem insequent generale Iesuitarum rogante in eorum collegium Nolanum reliquias quattuor sanctorum apportandas curavit: Tertii, Severi, Concessi et Christinae.

Annis proximis episcopus Lancellotti vitae religiosae promovendae strenuus operam dedit. Anno 1618 eo permittente ac adiuvante conventus sororum carmelitarum Sommae ad ecclesiam Madonna del Carmine conditus est¹⁰⁰. Anno 1619 Lancellotti novus ordinarius duas alias fundationes approbavit. Prima fuit apud Ecclesiam Nolanam S. Spiritus, ubi sorores tertii ordinis S. Francisci feminarum pauperum curam habebant. Biennio post sorores sub iurisdictionem episcopi Nolani venerunt (adhuc enim in patrum reformatorum tutela fuerunt). Altera fundatio conventus Lauranus sororum benedictinarum sub titulo S. Trinitatis fuit, qui post Pauli V pontificis maximi approbationem condi potuit. In dioecesi multae confraternitates christianorum laicorum florebant, ex quibus duae apud valetudinarium S. Ioannis et S. Felicis. Anno 1620 a Pierantonio Mastrilli, praeside Camerae regiae¹⁰¹, episcopo approbante confraternitas instituta est, cuius socii id sibi proposuerunt, ut animis in purgatorio degentibus opem ferrent. Anno proximo Carolus Carafa cum tribus presbyteris, qui novum ordinem condere voluerunt, Sommae apud ecclesiam S. Maria a Castello domicilium sibi constituit.

Anno 1622 dioecesis Nolana iterum inundatione est affecta (iam enim annis 1604, 1605 et 1614 inundationes fuerunt). Episcopus Lancellotti oppidum et multos domos religiosas Carolo Mastrilli, praefecto Nolano, adiuvante servabat¹⁰². Pontifice maximo et Congregatione negotiis religiosorum sodalium praeposita approbante ac Carolo Carafa, cardinale Neapolitano adiuvante paucis mensis Martii diebus plures religiosae e dioecesi Nolana in conventus Neapolitanos translatae sunt. Mense Iunio eiusdem anni exeunte pestilentia gravis saevire coepit, quo tempore Nolae Iesuita Franciscus Mastrilli, oratos sacer nobilissimus, commoratus est. Brevi post mense Novembri Gregorius XV pontifex maximus episcopum Nolanum Romam venire iussit, ut eum nuntium apostolicum apud Polonus in 5 annos faceret. Quibus annis quis nomine Ioannis Baptista Lancellotti dioecesim administraverit, non liquet. Vicarius generalis et officialis die 19 II 1615 factus est presbyter Salomon Liverani,

⁹⁹ Quae confraternitas angelum custodem colebat et sacrum animarum in purgatorio degentium faciebat; parvo temporis spatio tres homines Christi doctrinam amplecti sunt, unus ad Ordinem Cartusianorum sese applicavit. Cfr G. Remondini, *op. cit.*, vol. 3, p. 292-293.

¹⁰⁰ Cfr *ibidem*, p. 295-296.

¹⁰¹ Quae confraternitas Neapoli anno 1605 condita est. Petrus Antonius Mastrilli, Iulii Mastrilli principis in Marigliano residentis consanguineus, quattuor milia scudorum aureorum dedit, ut ecclesia aedificaretur et ea confraternitas Nolae conderetur. Cfr *ibidem*, p. 296-297.

¹⁰² Cfr *ibidem*, p. 288-300.

proto notarius apostolicus et doctor utriusque iuris¹⁰³, sed facultates ad visitationem et tertiam relationem *ad limina* anno 1625 agendam accepit praelatus Caesar Caravallo, cantor cathedralae Nolanae¹⁰⁴.

De statu dioecesis Nolanae inde a mense Novembri anni 1622 usque ad tempus antepaschale anni 1629, quo episcopus Lancellotti Nolam revertit, pauca dici possunt. Cum paucis mensibus post Lancellotti in Poloniam esset profectus, carmelita Franciscus Bartolomeo in cathedra Nolana ante sollemnes dies paschales recollectiones egit, quae ad hominum animos magnam vim haberent effeceruntque, ut Nolae conventus carmelitanus conderetur¹⁰⁵. Temporibus, de quibus agimus, sancti summopere colebantur. Nola S. Andream Avellino patronum suum elegit, cuius statua anno 1625 in urbem processionaliter illata est. Biennio post Nolani S. Ignatium Loyola quoque patronum suum praecipuum fecerunt. Anno autem 1626 nuntius Lancellotti Iesuitarum provincialem rogavit, ut presbyteri eius ordinis Nolae et tota dioecesi primum homines iterum evangelizarent, deinde indultis omnibus ab ordinario praeparatis usi fructus evangelisationis confirmarent. Anno 1626 religiosi S. Ioannis de Deo Sommam venerunt et conventum apud ecclesiam S. Mariae di Constantinopoli condiderunt, ut aegrorum et pauperum curam haberent.

De statu dioecesis annis 1628–1655

Postremos 27 vitae annos Ioannes Baptista Lancellotti Nolae in sede sua degit. Cum e Polonia revertisset, 52 annos natus fuit. Lancellotti ordinarius id potissimum egit, ut ecclesia episcopal, id est cathedra Nolana¹⁰⁶, et propinqua ecclesia SS. Apostolorum¹⁰⁷ pulchrius ornaretur. Deinde curam maximam habuit alumnorum seminarii (quorum numerus annis 1644–1655 a 16 usque ad 22 crevit). Annis enim 1640, 1642 et 1653 providit, ut pecunia ad seminarium

¹⁰³ Forlì, BCom, Fondo Piancastelli, Carte Romagna, Busta 255, doc. 129 (Romae, 19 II 1615).

¹⁰⁴ Qui relationem brevissimam scripsit. Cfr AV, Nolan., f. 522r.

¹⁰⁵ Cfr G. Remondini, *op. cit.*, vol. 3, p. 300.

¹⁰⁶ In actis visitationis sub anno 1618 legimus palatum episcopale domum amplam fuisse, in quo multa reficienda erat. Quam ob rem Lancellotti quaedam immutanda atque Sanctos Paulinum et Felicem in parietibus depingendos curavit. Anno 1615 cathedralae aedificatio nondum ad finem est perducta. In relationibus *ad limina* sub annis 1643, 1644, 1645, 1648, 1650, 1652 et 1655 legimus episcopum Lancellotti magnam pecuniam dedisse, ut cathedra altari, stallis, baptisterio, stallis chori, organo, pavimento, vitris pictis, paramentis liturgicis aliquis ornaretur. Anno 1645 ad palatum reficiendum 1400 ducatos, ad cathedram autem ornandam 600 ducatos contulit; annis insequentibus: anno 1648 – 430 nummos argenteos, anno 1652 6500 ducatos. Cfr etiam G. Remondini, *op. cit.*, vol. 3, p. 292; L. Angelillo, *La catedrale di Nola nella sua storia*, s. l. [1909], p. 58-84.

¹⁰⁷ Cfr G. Remondini, *op. cit.*, vol. 3, p. 311.

sustentandum suppeteret. Diligenter consuluit presbyteris totius dioecesis, ad quos epistulas pastorales scripsit¹⁰⁸, consuluit omnibus dioecesanis. Cui rei documento sunt 11 visitationes, quas annis 1625–1655¹⁰⁹ egit.

Episcopus Nolae libens permisit, ut anno 1637 congregatio missionariorum *della solitudine di S. Pietro* in Casarano conderetur. Nescimus, cur anno 1653 tres domus religiosae virorum, quae ad carmelitas in Otaiano, franciscanos in Scafati et benedictinos in Felino pertinebant, clauderentur earumque res in seminarium sustentandum verterentur¹¹⁰. Dignum est, quod moneamus Nolae, in oppido, quod multos viros tota Italia nobilissimos tulit¹¹¹, quod sedes episcopi fuit, annis 1616–1655 multos praestantes religiosos muneribus suis functos esse, quorum nonnulli in opinione sanctitatis mortui sunt. Quales fuerunt: capucinus Franciscus Maffeo Lauranus († 1616), duo nobiles franciscani conventuales e conventu Nolano: Daniel Coco († 1623) et Bonaventura Passevo († 1629), theologiae doctor, quam Mediolani, Neapoli et Salerni iuvenibus exposuit, Michael Trabucco, qui anno 1637 missiones dioecesanis peregit, post autem in Casarano congregationem missionariorum condidit, Jesuita Bernardinus Scolas et Carolus Carafa, novae congregationis conditor¹¹².

Quod ad laborem pastoralem pertinet, in quo praeter sacramentorum administrationem sanctorum reliquiarumque cultus floruit, commemoranda est sollemnis translatio statuae Deiparae ex ecclesia Sommana San Lorenzo in novam ecclesiam Santa Maria a Castello, quae anno 1650 facta est. Praeterea anno 1653 S. Sebastianus patronus Lauri sollemniter agnitus est, quam rem consanguinei episcopi Nolani, arcis Lauranae possessores, participaverunt. Lancellotti pauperibus opem tulit. Diebus 15 et 16 XII 1631 Vesuvius maxima cum vi proruptus est, deinde terrae motus et inundatio facta est. Terrori, qui Neapoli et Nolae¹¹³ hominibus iniectus est, occurrentum fuit, postero autem tempore sanctuarium in antiquo coemeterio situm reficiendum fuit.

¹⁰⁸ Quam rem testatur regestum documentorum membranearum, quae aperiunt nobis id consilium annis 1619, 1628, 1629, 1631 et 1632 ab episcopo captum. Cfr Nola, AD, Reg. per. n. 83.

¹⁰⁹ Post duas visitationes annis 1626 et 1627 episcopo Lancellotti absente peractas novem visitationes episcopo auctore, quamvis valetudo eius ingravesceret, peractae sunt annis his: 1630, 1640, 1644, 1645, 1647, 1648, 1649, 1654, 1655. Cfr Nola, AD, Serie visite, lib. 9-10, 11, 12, 13, 14, 16, 17.

¹¹⁰ Cfr G. Remondini, *op. cit.*, vol. 3, p. 317.

¹¹¹ Nolae natus est Iordanus Bruno, dominicanus nobilissimus, et Carolus Tetti, architectus militaris nobilis. Cfr ibidem, p. 302-303, 309, 316, 318, 321.

¹¹² Cfr ibidem, p. 293, 298, 300-302 et 311.

¹¹³ Cfr ibidem, p. 303-309.

5. De nuntiatura ordinanda et inauguranda

De nominatione et litteris credentialibus¹¹⁴

Verisimile videtur de Ioanne Baptista Lancellotti nuntio Parisiensi faciendo cogitatum esse¹¹⁵. Ioannes Stephanus Remondini, qui saeculo XVIII historiam dioecesis Nolanae scripsit, tradidit mense Novembri anno 1622 eum a Gregorio XV pontifice maximo Romam vocatum atque nuntium apostolicum apud Polonus factum esse¹¹⁶. In usu erat, ut nuntius ad gentem quandam proficiscens acciperet nominationem, breve ad fidem ei faciendam, instructiōnem, facultates et notas arcanae. Quam rem breve pontificium die 22 mensis Novembris a. 1622 editum confirmavit. Idem pontifex maximus iam proximo die tradidit Ioanni B. Lancellotti facultates generales, sed instructionem legatoriam, quam nuntius observare debuit, non subscrispit nisi tribus hebdomadis post, die 14 mensis Decembris a. 1622¹¹⁷.

Initio mensis Decembris anni 1622 Lancellotti in Poloniam proficiscens 75 litteris credentialibus instructus est¹¹⁸. Primae 6 litterae, die 25 XI 1622 scriptae, Italicis auctoritatibus ecclesiasticis et familiis ducum Medici et Gonzaga, 10 litterae, in quibus dies 26 XI 1622 ascripta erat, Habsburgis nobilissimis, 57 litterae Polonis destinatae erant. Quarum in numero 7 litterae certis personis destinatae erant: Sigismundo III Vasae regi¹¹⁹, Constantiae reginae, Vladislao Sigismundo, regis filio, Laurentio Gembicki, archiepiscopo Gnesnensi, et Martino Szyszkowski episcopo Cracoviensi. Ceterae litterae

¹¹⁴ De consiliis ad nuntios faciendo pertinentibus cfr ANP, vol. 1, p. 18. W. Tygielski (*Z Rzeczypospolitej. Studia z dziejów nuncjatury apostolskiej w Polsce XVI–XVII w.* [E Roma in Rem Publicam. Studia ad historiam nuntiaturae apostolicae in Polonia saec. XVI–XVII pertinentia], Varsaviae 1992, p. 103-104) scripsit investigandum esse, qui candidati et quomodo nuntii fierent. Sed quaestionem eam iam prius alii viri docti illustraverunt: cfr DHP, p. 47-49 (*Administration pontificale*) et 288 sqq (*Carrière*); A. Menniti Ippolito, *Politica e carriera ecclesiastica nel secolo XVII. I vescovi veneti fra Roma e Venezia*, Napoli 1993. Synthesim nobis utilissimam dedit Urban Fink in opere, quod *Die Luzerner Nuntiatur inscribitur*, p. 171-180. Cfr etiam H. D. Wojtyska, *Papiestwo–Polska 1548–1563. Dyplomacja* [Papatus–Polonia 1548–1563. Res Diplomatica], Lublini 1977, p. 171-173; K. Walf, *Die Entwicklung des päpstlichen Gesandtschaftswesens in dem Zeitabschnitt zwischen Dekretalenrecht und Wiener Kongreß (1159–1815)* (*Münchener Theologischen Studien*, Kan. Abt. Bd. 24), München 1966, p. 95.

¹¹⁵ Quod contendit L. Pastor, secutus L. von Ranke, *op. cit.*, p. 110.

¹¹⁶ Cfr G. Remondini, *op. cit.*, vol. 3, p. 300.

¹¹⁷ Cfr N. 2 et 13. Sed in fontibus alias quoque dies invenimus: „Designatus a Gregorio XV fuerat die 25 XI 1622 ut Card. de Torres in legatione Polonica succederet – (Brev. ad Principes an. 2, p. 142, cfr or.: AV, F. Garampi 23 f. 100v. Cfr etiam ANP, vol. 1, p. 250). In alio fonte legimus id die 10 XII 1622 factum esse: „10 XII 1622 Joh. Baptista Episcopus Nolanus mittitur Nuntius“ – (cfr AV, N. Pol. Add. 2 fasc. 1 f. 256v).

¹¹⁸ Cfr infra Append. NC 2. – Reg.: AV, Arm. XLV, 20 f. 151v-194v.

¹¹⁹ Cfr N. 5.

numero 50 *in blanco* scriptae episcopis aliisque viris amplissimis destinatae erant¹²⁰. Quae litterae tribus versionibus compositae sunt: prima et secunda versio die 2 XII 1622 ornata nuntio et Antonio Francisco Mariae Cirioli, veteri auditori (qui tum internuntius erat) destinata erat, tertia, in qua dies 10 XII 1622 erat scripta, soli nuntio.

Breve ad fidem Ioanni B. Lancellotti faciendam die 3 XII 1622 editum ipse nuntius publice regi tradere debuit.

De instructione legatoria¹²¹

Nunc agemus de instructione legatoria, quae continebat praecepta pertinentia ad nuntiaturam ordinandam et ad epistularum commercium cum institutis Romanis et aliis nuntiis habendum. Nuntio praecipiebatur quoque, quomodo se gerere deberet erga regem, magistratus eius, auctoritates ecclesiasticas et aulas regias. Instructio Ioannis B. Lancellotti Italorum lingua die 14 XII 1622 scripta est et a Ludovico Ludovisi, cardinale secretario Status, subscripta et sigillo ornata¹²². Praeter instructionem card. Ludovisi misit ei *ad informandum* paulo immutatam instructionem superioris nuntii card. Cosmi de Torres (in qua dies 30 V 1621 ascripta erat)¹²³. In instructione praeceptum est Ioanni B. Lancellotti, ut e cardinale de Torres, auditore eius et Iesuitis¹²⁴ quaereret, qualis esset condicio Ecclesiae Catholicae in Polonia. Deinde Ioanni B. Lancellotti rete informatorum, qui nunc vocantur, instituendum erat, in epistulis autem ad Secretariatum Status et alios nuntios scribendis duo genera notarum arcanarum adhibendae erant¹²⁵. Praeterea nuntius debuit facere iussa

¹²⁰ Cfr N. 6, 7, 8.

¹²¹ Cfr H. D. Wojtyska, *op. cit.*, p. 167-171; ANP, vol. 1, p. 20-22. De rebus in instructionibus tractatis, quas Germanorum viri docti *Hauptinstruktionen* vocant, scripsit Klaus Jaitner (*Die Hauptinstruktionen Clemens VIII. für die Nuntien und Legaten an den europäischen Fürstenhöfen 1592–1605*, vol. 1-2, cur. K. Jaitner et M. Niemeyer, Tübingen 1984). Adalbertus Tygielski autem quaesivit, quatenus litterae a nuntio postea Romam missae ab instructione legatoria deperderent (W. Tygielski, *op. cit.*, p. 23-25).

¹²² Cfr N. 13.

¹²³ Contigit mihi, ut autographa utriusque instructionis in archivo Laurano Lancellottorum reperiem. Asservatae sunt 17 copiae illius immutatae instructionis Cosmi de Torres: 5 in Bibliotheca Vaticana, 3 Romae, 4 in Toscana (in quorum numero 2 Florentiae), 2 Salisburgi et Vratislaviae, 1 Berolini. Praeterea recognitae sunt 18 copiae instructionis Ioannis B. Lancellotti anno 1622 conscriptae. Quarum duae versiones fuerunt: 10 diem autographi prae se tulerunt „14 XII 1622”, 8 autem diem „10 XII 1622”. Copiae primae versionis asservantur: in Biblioteca Vaticana – 2, Romae – 3, in Toscana – 2 (1 Florentiae) et in Polonia – 3 (quarum 2 Cracoviae, 1 Vratislaviae); copiae versionis secundae asservantur: in Biblioteca Vaticana – 2, Romae – 1, in Toscana – 2, Vindobonae – 2 et Berolini – 1.

¹²⁴ Cfr *Litterae secretae Iesuitarum, qui in Russia Petro primo regnante fuerunt*, Petroburgo 1904; *Encyklopedia wiedzy o jezuitach na ziemiach Polski i Litwy 1584–1995* [Encyclopaedia scientiae Iesitarum Polonorum et Lithuanorum 1584–1995], cur. L. Grzebień et alii, Cracoviae 1996.

¹²⁵ Cfr N. 12.

Congregationis de Propaganda Fide, quae in tertio conventu die 8 III 1622 habito unicuique nuntiorum accurate paecepit, ut singulas regiones evangelizandas curarent¹²⁶. Regio Ioanni B. Lancellotti commissa ad Poloniam, Lithuania, ducatum „de Smolensco”, Russiam et Suetiam pertinebat, 850 milia chiliom.² habuit, incolebant eam 4,4 millones hominum multarum gentium.

De potestatibus¹²⁷

Nuntius Lancellotti die 23 XI 1622 tria brevia pontificia accepit, quae ei facultates generales dederunt, quae postea ampliatae sunt¹²⁸. Die 17 VIII 1624 Lancellotti data est facultas iudicandi et in carcerem coniciendi omnes episcopos et archiepiscopos, qui in Sigismundum III regem eiusque familiam conspiravissent¹²⁹. Quam ob rem tam raras atque extraordinarias facultates acceperit, non liquet. Scimus iam antea multa brevia in Poloniam missa esse, quia Curia Romana inquietis Poloniae rebus conturbabatur. Vulgo putabatur Polonus solos esse, qui Christianos occidentales contra Turcos defendere possent. Nescimus tamen, quibus causis pontifex maximus adductus sit, ut Ioannem B. Lancellotti tam magna potestate ornaret. Quibus de causis fortasse tractavit Lancellotti in duabus epistulis notis arcanis scriptis, quae deperierunt (quas epistulas se die 15 VI 1624 accepisse Franciscus Barberini, secretarius Status, annotavit). Praeterea Congregatio de Propaganda Fide die 30 IV 1624 decrevit, ut mitterentur nuntio facultates subdelegandi et instructio, ex qua processus informativus de Iosaphat Kuncewicz vita et morte perageretur.

¹²⁶ Nuntio Polono assignatae sunt: „Polonia universa, Russia, Podolia, Lituania, Livonia, Prussia, Pomerania, Svetia, Gothia, Finlandia, Varmia, Ducatus de Smolensco, Moscovia” – cfr Roma, Archivum S. Congregationis de Propaganda Fide (infra citatur: APF): Acta vol. 3 (1622–1625), f. 4. Pleniorum descriptionem Poloniae et omnium regionum edidit nuntius Galeazzo Marescotti, *Vademecum pro nuntiis apostolicis in Polonia*, p. 78-79 Res harum civitatum Sigismondo III regnante tractavit Josef Olšr, *La congregazione ed i paesi assegnati al nunzio di Polonia (Polonia, Svetia, Russia)*, in: *SCPF Memoria Rerum. 350 anni a servizio delle missioni 1622–1972*, ed. J. Metzler, t. 1/2, Romae [1972], p. 201-226.

¹²⁷ Cfr LThK, vol. 3, 1157 (*Fakultäten*); ibidem, vol. 2, 778 (*Bulle*); ANP, vol. 1, p. 22-25; H. D. Wojtyska, *op. cit.*, p. 190-191; U. Fink, *Die Luzerner Nuntiatur 1586–1873. Zur Behörden-geschichte und Quellenkunde der päpstlichen Diplomatik in der Schweiz (Collectanea Archivi Vaticani 40 – Luzerner Historische Veröffentlichungen 32)*, Luzern 1997, p. 146-148.

¹²⁸ Cfr N. 2, 3, 4, 28, 36, 98, 133, 142.

¹²⁹ Cfr N. 286 – Min.: AV, Sec. Brev. 939 f. 59rv; quam notam scripsit nuntius Garampi in AV, F. Garampi 122, fasc. R, s. f.: „Urbano VIII con suo breve dei 17 Agosto 1624, die faculta a mons. Giovanni Battista Lancellotti, vescovo di Nola, nunzio apostolico in Polonia, di proces-sare e carcerare tutti quegli ecclesiastici, vescovi e arcivescoci, che si trovasse aver avuta parte nella cospirazione; ivi scopertasi contro il re Sigismondo e tutta la reale sua famiglia e di proce-dere fino alla sentenza definitiva esclusice” (Bull. Romanum V, pars V, p. 246); quod documentum publicatum est – *Bullarium Romanum*, vol. 13, p. 198-199.

De adiutoribus proximis

E fontibus, quos collegimus, cognoscimus „familiam” Varsaviensem nuntii Lancellotti accedere proprius ad nuntiaturam Polonam saeculi XVI partis posterioris, quam Henricus Wojtyska descripsit, quam ad magnam aulam nuntii pontificii Galeatii Marescotti (circa a. 1670). Wojtyska existimat nuntios apud Polonus annis 1548–1563 viginti fere personis usos esse. Tres sectiones nuntiaturae quasi parva Curia Romana fuerunt. Prima sectio fuit sui generis tribunal et signatura, secunda – cancellaria, tertia – regimen parvae aulae nuntii. Numerum adiutorum ipse legatus pontificius decernebat: praeter theologum vel etiam aliquot theologos (quos secum habere non erat in usu saeculi XVI parte posteriore) fuerunt etiam duo iurisperiti, id est auditor et notarius (qui nonnumquam etiam munera cancellarii explebat), secretarius, cui nuntius praecipuam fidem habebat, camerarius (Italice *maestro di casa*), qui erat oeconomicus res necessarias suppeditans, et stabuli praefectus. Erant etiam famuli, quorum optimi saepe cursorum citorum munera explebant. Praeterea nuntios comitabantur eorum consanguinei iuvenes, qui res quasdam novas mirasque sectabantur¹³⁰.

De nuntii „familia” multa cognoscimus e scripto, quod sub titulo *Vademecum pro nuntiis apostolicis in Polonia* anno fere 1670 composuit nuntius Marescotti, qui hausit ex eis, quae nuntii superiores, Vidoni (1652–1659) et Pignatelli (1660–1668), experti erant. Qui aetate Marescottiana in aula nuntii erant, in tria genera dividebantur. Fuerunt, qui variarum linguarum periti cum nuntio Roma venirent, ut munera gravissima explerent. In quorum numero fuerunt: auditor, cancellarius, secretarius, marescalcus (*maestro di casa*), capellanus, dapifer et alii. Secundum genus fuit eorum, qui minorum officiorum obeundorum causa Vindobonae conquirebantur. Fuerunt denique autochthones, ut exempli gratia calones¹³¹.

De viris nuntiorum comitibus pauca scimus. Ioannis B. Lancellotti operis socii fuerunt hi: auditor Aemilius Altieri, notarius usque ad annum 1625 Philippus Hurtino, successor eius annis 1625–1627 (qui iam inde ab anno 1623 in nuntiatura occupatus est) Hieronymus Agnesi, secretarius Dominicus Roncalli, *maestro di casa* Camillus Pasquale. Quae fuerint munera Marco Ferrari (nepoti nuntii Lancellotti) et Martio Delphino (nepoti Aemilii Altieri auditoris) data, nescimus. Sex viri Itali fuerunt, in eorum numero quattuor Romani. Dignum est, quod memoremus illos viros nuntii vel auditoris consanguineos fuisse, excepto utroque notario, Hurtino (Francogallus, Argento-

¹³⁰ Cfr H. D. Wojtyska, *op. cit.*, p. 192-202. Similem opinionem protulit M. Völkel (*Römische Kardinalshaushalte des 17. Jahrhunderts. Borghese – Barberini – Chigi*, Tübingen 1993, p. 240), qui contendit in nuntiatura secundae categoriae gerenda 15-20 viros occupatos fuisse.

¹³¹ Cfr G. Marescotti, *op. cit.*, p. 14.

ratensis) et Agnesi (Italus, Genuensis), et excepto marescalco vel potius dominus nuntii administratore, qui fuit Mantuanus nomine Pasquale. Quod ad linguarum scientiam pertinet, fuerunt certe, qui praeter linguam Italorum linguam Latinam quoque scirent. Verisimile videtur Philippum Hurtinum linguam Latinam, Italicam, Francogallicam et Germanicam scivisse atque ob eam rem ab Ioanne B. Lancellotti cancellarium factum esse. Quibus de viris infra exponemus.

Auditor

Aemilius Altieri natus est Romae anno 1590 (baptizatus est in parochia S. Marci) gente patriciorum Romanorum. Fuit quintus filius e 16 liberis, quos Lorenzo Altieri eiusque secunda uxor Victoria Delfini, nuntii Lancellotti amita, procreaverunt¹³². Altieri post studia in collegio Romano Jesuitarum et in universitate Sapienza absoluta die 17 X 1611 doctor utriusque iuris est creatus et apud Ioannem Baptistam Pamphili (qui postea Innocentius X pontifex maximus est factus) auditoris Rotae officiis exsequendis vacavit. Annis 1622–1627 auditor nuntiaturae Varsaviensis Ioannis B. Lancellotti fuit. Cum Lancellotti nuntiaturam suam absolvisset, Altieri in Polonia mansit et Albrechto Stanislao Radziwiłł cancellario permittente anno 1628 comitiis extraordinariis interfuit¹³³. Die 6 IV 1634 presbyter est factus et iam mense Novembri anno 1627 episcopus Camerinus creatus successit fratri suo, quem Urbanus VIII pontifex maximus Romam vocavit. Annis 1633–1634 Laureti vicarius fuit, anno 1641 gubernator Macerati, anno 1644 nuntii Neapolitani munera explevit. Anno 1657 secretarius Congregationis Episcoporum et Regularium est factus, deinde consultor Inquisitionis, anno autem 1667 *maestro di casa* Clementis IX. Anno 1669 cardinalis dignitatem est assecutus. Anno 1670 pontifex maximus est factus et Clemens X Sedem S. Petri occupavit¹³⁴. Anno 1676 mortuus est. Fuit primus vir e nuntiatura Varsaviensi, qui pontifex maximus factus est.

Auditoris potestates nondum definitae erant. Qui cum iurisperitus esset, nuntium in causis iudicandis adiuvabat. Sicut nuntius et notarius tribunalis socius erat. Coram auditore notarii testimonia ad sententiam a nuntio feren-dam audiebant¹³⁵.

¹³² Cfr C. Weber, *op. cit.*, vol. 2, p. 439 (tabella XVII).

¹³³ Cfr J. Bartoszewicz, *Lancellotti (Jan Baptysta)*, in: *Encyklopedia Powszechna Orgelbrandta* [Encyclopaedia Universa Orgelbrandt], Varsaviae 1864, vol. 16, p. 673.

¹³⁴ Cfr Roma, Arch. Orsini: A. Capit. S. 251, f. 110r-111v. Vide etiam: ECat, vol. 3, col. 1831; *Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastiques* (infra citatur: DHGE), vol. 12, Paris 1950–1953, col. 1313–1326.

¹³⁵ Cfr H. D. Wojtyska, *op. cit.*, p. 196–198.

Notarius

Philippus Hurtino, Claudii filius, presbyter Argentoratensis, notarius Rotae Romanae; idem munus explevit in cancellaria nuntii Lancellotti annis 1622–1625¹³⁶. Quid post annum 1625 egerit, nescimus.

Hieronymus Agnesi, Ioannis Baptistae Albiganensis filius, presbyter in dioecesi Albenga prope Genuam in Italia, notarius publicus. Inde ab anno 1623 in nuntiatura occupatus erat, fortasse aulicus vel capellanus, annis autem 1624–1627 notarii officium functus est. Imago eius sigilli notarialis imagini sigilli et insignis nuntii similis est, ex quo conici potest eos propioribus quibusdam vinculis coniunctos fuisse¹³⁷.

Notarius iurisperitus fuit nuntiaturae secundus (nonnumquam abbreviator vocabatur), quo omnes nuntii usi sunt. Notarius conficiebat, subscribebat et divulgabat omnia nuntii acta publica, in causis autem iudicandis saepe ipse de reis et testibus quaerebat eorumque testimonia conscribebat¹³⁸.

Secretarius – cancellarius

Dominicus Roncalli, Romanus¹³⁹, secretarius nuntii Lancellotti annis 1622–1627, deinde capellanus¹⁴⁰ et secretarius regis in aula Sigismundi III et Vladislai IV. In usu erat, ut reges Italies uterentur¹⁴¹. Lancellotti Dominicum Roncalli regi commendavisse putabatur, ut efficeret, ut rex nuntio cardinalatum appetenti faveret. Annis 1632–1648 Roncalli varia officia Vladislao IV regi praestitit. A quo Lutetiam Parisiorum missus est, cum bellum contra Turcos appar-

¹³⁶ Ut notarius usus est sigillo atramentario, cuius clipeus insignis gentilicij formas Baroci proprias habet et nititur triangulo, in cuius cacumine crux est. In imo clipeo Hurtino scribi iussit sententiam hanc: „SIC VIRTUTE FLOREBO”. In clipei campo (id est signo) flos se evolvens est, in parte ima sunt duo ramuli decussatim positi, quorum unus palmeus. Quod sigillum in postrema charta actorum processuum informativorum ad episcopos creandos pertinentium quoque post „Attestationem Notarii” invenimus. Cfr or.: AV, AC: Proc. Consist. 17, f. 467.

¹³⁷ Ut notarius usus est sigillo atramentario, cuius clipeus insignis gentilicij formas Baroci proprias habet, nititur autem forma irregulari, acuta ac ovata (id est sphragisticae ecclesiasticae propria), cuius axis longior verticalis est. In sigilli parte summa crux Graeca est, supra quam videmus columbam ramulum olivae portantem. In cruce ima Agnesi primum fragmentum sententiae suaे scribi iussit: „HINC GLORIA”. Duo reliqua fragmenta verticaliter posita sunt et legi possunt post clipeum versum in partem laevam: „HINC LUCE” et in partem dexteram: „HINC SPLENDORE”. In axe campi medii clipei (qui campus signum efficit) quinque stellae sex bracchiorum positae in medio figuram crucis reddunt. Tale signum paene idem est atque signum, quo in sigillis et in insigni usus est Ioannes B. Lancellotti. Quod sigillum in postrema charta actorum processuum informativorum ad episcopos creandos pertinentium quoque post „Attestationem Notarii” invenimus. Cfr AV, AC: Proc. Consist. 23, f. 326v.

¹³⁸ Cfr H. D. Wojtyska, *op. cit.*, p. 199.

¹³⁹ Card. F. Barberini in sua epistula die 14 XII data scripsit eum Fulginatensem fuisse – cfr reg.: AV, Nunz. Pol. 44, f. 14rv.

¹⁴⁰ In epistula a H. Visconti ad card. F. Barberini die 3 IV 1631 data Sigismundus III rex affirmit mox post nuntii Ioannis B. Lancellotti profectionem die 25 VI 1627 Dominicum Roncalli munera capellani explenda suscepisse. Cfr decifr.: BV, Barb. Lat. 6587, f. 51r.

¹⁴¹ Satis est in memoriam revocare Bartholomeum Ribboni, secretarium card. Cosmi de Torres, Ioannis B. Lancellotti antecessoris, secretarium regium factum esse.

retur, sed non semper regi fidelis fuit: instructionem legati Christophori Gosewski Francogallo d'Avoux legendam dedit, sine permissione regis Romam reliquit, ut fratri ministri Francogallici Julii Mazarini cardinalatum peteret. Sed non est obliviscendum eum prospero successu id egisse, ut rex Ludovicam Mariam Gonzagam uxorem duceret. Eodem tempore res varias Romae agendas curavit. Is annis 1635–1636 Curiae Pontificiae persuasit, ne dioecesis Varmiensis a metropolia Gnesnensi dependeret, quamvis Ioannes Węzyk archiepiscopus id egisset. Anno 1642 Roncalli canonicus Varmiensis factus est¹⁴².

Secretarii munus erat adiuvare et custodire nuntium in rebus diplomaticis et cancellariam regere (inde etiam cancellarius vocabatur), in qua relationes diplomaticae conficiebantur. Quas relationes si nuntius scribendas abnuit, secretarius componebat. Plurimae litterae a nuntio Lancellotti ad Sedem Apostolicam datae Dominici Roncalli manu scriptae sunt. Secretarii nuntiaturarum ut sui generis adiutores nuntiorum ex viris eruditis et fide dignis eligebantur¹⁴³.

Marescalcus aulae nuntii (*Maestro di casa*)

Camillus Pasquale, Italus, Mantuanus, marescalcus aulae nuntii, qui matruis quam nuntius iam die 31 III 1632 Varsaviam venit¹⁴⁴, ut residentiam nuntii una cum Hieronymo Agnesi appararet¹⁴⁵.

¹⁴² Cfr W. Czapliński, *Dyplomacja polska w latach 1605–1648* [De Polonorum re diplomatica annis 1605–1648], in: *Polska służba dyplomatyczna XVI–XVIII wieku* [De Polonorum re diplomatica saeculis XVI–XVIII], cur. Z. Wójcik, Varsaviae 1966, p. 249; A. Kopiczko, *Organizacja i ustroj diecezji warmińskiej w latach 1525–1771* [De dioecesi Varmiensi annis 1525–1771], Lublini 1991, p. 307–338, tab. 26; idem, *Roncalli (Roncallius) Dominik*, in: *Slownik biograficzny kapituły warmińskiej* [Lexicon biographicum capituli Varmiensis], Olstini 1996, p. 205–206. Roncalli ad capitulum non resedit, sed domum canonici Gregorii Borasta mortui occupavit (cfr Olsztyn, ADWO, Acta cap. 6, k. 110v) et rogavit hortum, quem antea canonicus German habuit, et praedium capitulare in Zawierz prope Fraumbergam (ibidem, k. 122v), die autem 24 IV 1643 a Ioanne Carolo Konopacki episcopo nominato cum auctoritate missus est ad canoniam occupandam, antequam is episcopus Varmiensis publice est factus (ibidem, k. 121v).

¹⁴³ *Nuntiaturberichte aus Deutschland* (infra citatur: NBD), Bd 6/1, München 1877, p. XLV–XLVI; Bd 7/1, Paderborn 1980, p. XXXIX–XL; W. Tygielski, *op. cit.*, p. 170–175.

¹⁴⁴ Auditor Cirioli die 31 III 1623 nuntiavit: „[...] Aspetto con molti dessiderio il Maestro di casa di Monsignor Lancellotti quale intendo venggi per la Vistola con le robbe necessarie per metter all'ordine la casa, essendo già molti giorni che ha aviso da mercanti di Cracovia che si era inviato è questa volta, piaccia a Dio che arrivi quanto prima, e che pochi giorni doppoi giunghi anco Sua Signoria Ill.ma, essendo per molti rospetti, ma in particolare per la vacanza del Vescovato di Cuiavia necessaria la sua assistenza alla Corte. [...] Nel serrar delle lettere è giunto il Maestro di casa di Monsignor Lancellotto qual dice che Monsignore non serà quà doppo Pasqua [...]” – cfr BV, Barb. Lat. 6582, f. 100rv. Die autem 7 IV retulit: „Il Maestro di casa di Monsignor Lancellotto, che giunse hogi otto giorni, ha preso l'habitatione per Monsignor Nuntio nel convento de padri Zocolanti, nel quale sono stati altre volte li Nuntii, et hora va mettendola all'ordine, dovendo esser qua Monsignore al fine dell'ottava di Pasqua”. Cfr BV, Barb. Lat. 6582, f. 101r.

¹⁴⁵ Uterque testis est in processu informativo Michaelis Działyński, cuius acta Varsaviae diebus 26 XI – 2 XII 1623 confecta sunt: „[...] Illbus Rev. Dominum Hieronymu Agnesio Albin-ganensis Dioecesis et Camillo Pasquale Mantuano ambobus dicti Ill.mi et Rev.mi Domini Nuntii Apostolici Camerariis [...].” Cfr A. 12.

Annis 1622–1624 Lancellotti secum habuit Marcum Ferrari, Romanum, Valerii filium (qui fortasse nepos nuntii fuit)¹⁴⁶. Certo scimus die 20 V 1624 in nuntiatura fuisse Martium Delphino, Laurentii Romani filium (qui fuit nepos Aemilii Altieri). Qui viri quaenam munera expleverint, nescimus.

De adiutoribus externis

De theologis

Saeculo XVI nuntii Poloni id potissimum egerunt, ne protestantismus ad Polonorum animos vim haberet. Quam ob rem Iesuitae theologiae periti magnas partes agebant, quorum munus erat disputare in comitiis cum iis, qui alia sacra sunt secuti. Qui theologi cum nihil agere possent, postea in nuntiaturis ordinandis omittebantur¹⁴⁷. In fontibus ad Ioannis B. Lancellotti nuntiaturam pertinentibus nulla theologi mentio fit.

De informatoribus

Nuntius statu tempore debuit nuntiare secretariatu pontificio de rebus, quae fiebant in regione ad nuntiaturam suam pertinente. Qua re opus ei erat viris fide dignis, qui ei facta referrent. Qui fuerunt praeter Iesuitas episcopi et presbyteri Poloni, magistratus aulae regiae amplissimi, imprimis cancellarius magnus, secretarii regii, aulici familiae regiae, senatores et comitiorum legati. Nuntiabat ea quoque, quae ipse vidit quaeque e collocutoribus cognovit.

De commissariis et delegatis

Tempore procedente in nuntiaturis Europaeis commissarius apostolicus creari coepit. Cuius munus erat nuntii vicem gerere et adesse rebus (e. g. electioni episcopi), quibus is nec adesse potuit nec socium quandam operis mittere¹⁴⁸. Nondum contigit viris doctis, ut talem magistratum ab Ioanne B. Lancellotti factum in fontibus invenirent. Sed novimus delegatum nuntii, quem Congregatio de Propaganda Fide die 28 III 1623 fieri iussit, cum omnibus nuntiis

¹⁴⁶ Adnotatio, cuius fides confirmata sest, testatur Marcum Ferrari una cum nuntii aula die 23 II 1623 Tineciam venisse: „Actum in supradicta Abbatia Tinecensi praesentibus ibidem et audiens Dominis Hieronymo Agnesio, filio quondam Ioannis Baptiste Albinganensis Dioecesis et Marco Ferrari, filio Valerii Romano, supradicti Ill.mi et Rev.mi Domini Ioannis Baptiste Lancellottis familiaribus, testibus ad praemissa omnia et singula vocatis, habitis et requisitis” – cfr Lauro, APL, Arm. B 3a, fasc. R, 2, f. 3v. Eum autem in nuntiatura die 20 V 1624 fuisse actis processus epi H. Firlej edocemur: „Actum Varsaviae, in palatio solitae residentiae et in cameris dicti Oll.mi et Rev.mi Domini Nuntii Apostolici, praesentibus ibidem et audiens Perillustri et Adm Rev.do Domino Emilio Alterio JUD, dicti Ill.mi et Rev.mi Domini Nuntii Apostolici curiae generali Auditore et Judice Ordinario, et Dominis Camillo Pasquale Mantuano et Marco Ferrari Romano ambobus nostris familiaribus et Domesticis Testibus ad praemissa omnia singula vocatis, habitis et requisitis” – cfr AV, AC: Proc. Consist. Ms. 18, f. 300v.

¹⁴⁷ Cfr H. D. Wojtyska, *op. cit.*, p. 192-193; ANP, vol. 1, p. 357 (N. 7).

¹⁴⁸ Cfr U. Fink, *op. cit.*, p. 143-144.

Europaeis mandavisset, ut collegia pontificia visitarent. Lancellotti potestate sibi data usus est ad collegium Braunsbergense et Vilnense visitandum. Braunsbergae die 16 VIII 1623 visitationem egit protonotarius et canonicus Varmiensis Ioannes Vastovius. Collegium Vilnense visitavit diebus 22–23 II 1624 archidiacon et referendarius Vilnensis Melchior Heliaszewicz Geysz Stanislaw Śmiech, notario publico illius loci, adiuvante¹⁴⁹. Nuntii agens, qui iam in nuntiatura Helvetica saeculi XVII notus est, vir erat, qui Romae res nuntii curabat¹⁵⁰. Nullum agentem Ioannis B. Lancellotti novimus.

De residentia, pecunia et taxis

Usque ad annum 1563 nuntii Varsavienses nullam certam residentiam habuerunt, qua re factum est, ut regum, episcoporum et capitulorum cathedralium hospitio uterentur¹⁵¹. Initio saeculi XVII incolae Varsaviae tenuissimo cultu vivebant et difficile erat domum commodam, nuntio eiusque aula dignam reperire. E fontibus conicimus residentiam nuntii regiae oppositam fuisse et intra fines monasterii S. Annae bernardinorum sitam¹⁵². Quod monasterium post Polonię a S. Ioanne Kapistran visitatam anno 1454 conditum est et una cum locis ei adiacentibus testis fuit magnarum rerum. Hic Polonorum reges obsequii professionem a vasallis accipiebant, hic portae triumphales victoribus, regibus et reginis post vota coniugalia facta Varsaviam ingredientibus exstrebantur. Ecclesia S. Annae saepe a nobilibus et magnatibus visebatur. Saeculo XVI haec pars urbis „suburbii Bernardinorum” nomen accepit, quod usque ad Sigismundi III tempora mansit (hodie Krakowskie Przedmieście vocatur). Monasterium latericum erat, sed dormitorium ligneum habebat, cui guardianus Paulus Łęczycki (Lancicius) anno 1603 adiunxit partem novam, in qua

¹⁴⁹ Ioannes Vastovius (1576–1624) natus est in Sunderköping loco nobili, studiis vacavit Braunsbergae (1595–1597) et Romae in Collegio Germanico (1597–1605); inde ab anno 1603 presbyter, postea secretarius, capellanus et bibliothecarius Sigismundi III, post studia Cracoviae annis 1627–1628 absoluta doctor theologiae est creatus; protonotarius apostolicus, canonicus Varmiensis (1620) et Vratislaviensis (1628). In opere *De vitis sanctorum Scandinaviae, Coloniae anno 1623 edito*, publicavit vitas 85 sanctorum Suecicorum et litteras pontificias in Suetiam missas. Cfr *Słownik biograficzny kapituły warmińskiej* [Lexicon biographicum capituli Varmiensis], Olstini 1996, p. 264.

¹⁵⁰ Cfr U. Fink, *op. cit.*, p. 138–140.

¹⁵¹ Cfr H. D. Wojtyska, *op. cit.*, p. 222.

¹⁵² Quo loco monasterium situm fuerit, in tabulis geographicis Varsaviae illo tempore confectis videmus. Cfr T. Zarębska, *Plan Warszawy z pierwszej połowy XVII wieku* [Descriptio Varsaviae saeculi XVII parte priore confecta], „Kwartalnik Architektury i Urbanistyki” 3 (1964), p. 233–254; *Warszawa w latach 1526–1795* [De Varsavia annis 1526–1795], opus multorum auctorum (*Dzieje Warszawy* [Historia Varsaviae], vol. 2), Varsaviae 1984, et prospectus Varsaviae secundum imaginem ab E. J. Dahlberg anno 1656 pictam (S. Pufendorf, *De rebus a Carolo Gustavo Sueciae Rege gestis* [...], Norymberga 1696; idem, *Histoire de regne de Charles Gustave* [...], s. l. 1697, p. 86, imago 13).

magnates et nobiles hospitio acciperentur. Initio habitabant hic benefactores ampliores et protectores ordinis. Quaedam aedificia monasterialia nuntiis apostolicis patuerunt. Bernardini historiae studiosi contendunt nuntium Cosmum de Torres (1621–1622) monachis severum in monasterio S. Annae non habita-visse¹⁵³. Die 27 IV 1623 in monasterium Ioannes B. Lancellotti venit, qui in eo stabulum quoque habuit¹⁵⁴. Quot conclavia occupaverit, nescimus. Nuntios in monasterio hospitio accipere monachis molestum erat¹⁵⁵. Ultimus nuntius usque ad annum 1643 in monasterio mansit.

Nuntiis in officia explenda magna pecunia opus erat: saeculi XVII parte posteriore 500 fere scudis, ad quos, si nuntius Varsaviae mansit, 50 fere thaleri in litteras dandas accedebant¹⁵⁶. Quaestio oboriatur necesse est, quantam pecuniam viri a pontifice maximo in Polonię missi acceperint. U. Fink putat nuntiaturam Polonam (sicut nuntiaturam Venetam, Parisiensem, Vindobonensem et Germaniae meridionalis) ad nuntiaturas primae categoriae pertinuisse, in quibus nuntii singulis mensibus a Camera Apostolica 200 scudos aureos accipiebant¹⁵⁷. Quae ratio a Gregorio XIII instituta usque ad annum 1650 man-sit. Wojtyska statuit anno 1618, id est anno quarto antequam Lancellotti Varsavię venit, nuntium Varsaviensem singulis mensibus 230 scudos accepisse¹⁵⁸. Saeculo XVII 700 scudi in itinera erogati nuntiis et legatis restituebantur. Sed Biaudet statuit usque ad annum 1648 nuntios apostolicos ex duabus aliis fontibus pecuniam hausisse, scilicet ex reditu dioecesis vel abbatiae et potestatum iuris dicendi. Quae cum ita essent, pecunia accepta et beneficia in sumptus necessarios faciendos sufficiebant¹⁵⁹, sed nonnumquam non nisi post munus nuntii expletum.

¹⁵³ K. Kantak, *Bernardyni polscy* [De Bernardinis Polonis], vol. 2, Leopoli 1933, p. 80-84; W. F. Murawiec, *Bernardyni warszawscy. Dzieje klasztoru św. Anny w Warszawie 1454–1864* [De Bernardinis Varsaviensibus. Historia monasterii S. Annae Varsaviensis 1454–1864], Cra-coviae 1973, p. 38; D. Kaczmarzyk, *Kościół św. Anny* [De ecclesia S. Annae], Varsaviae 1984, p. 92; *Klasztory bernardyńskie w Polsce* [De monasteriis Bernardinorum Polonis], cur. H. E. Wyczawski, Monte Calvariae 1985, p. 398-409.

¹⁵⁴ Quod die 29 IV 1623 nuntiavit auditor card. Cosmi de Torres. Cfr or.: BV, Barb. Lat. 6582, f. 105r.

¹⁵⁵ Post nuntium Lancellotti resederunt hic: Antonius Santacroce annis 1627–1630 et Honoratus Visconti annis 1630–1636. Cfr W. F. Murawiec, *op. cit.*, p. 38.

¹⁵⁶ Cfr ANP, vol. 1, p. 376 (N. 13).

¹⁵⁷ U. Fink, *op. cit.*, p. 109-110.

¹⁵⁸ Cfr ANP, vol. 1, p. 5.

¹⁵⁹ Cfr H. Biaudet, *Les nonciatures apostoliques...*, p. 75-92. Usque ad saeculum XVII medium plurimi nuntii apostolici unam dioecesim Italiam accipiebant, cuius reditus in sumptus quosdam a nuntiis faciendos vertebatur, quamquam Concilium Tridentinum episcopos in sede sua manere iussit. Nuntius, cum episcopus dioecesanus esset, hoc iussum facere non potuit. Quare factum est, ut post Bellum 30 Annorum episcopi non acciperent nisi sedes titulares, ex quibus nullae pecuniae redibant.

Nuntii erat viris, quos secum habuit, pecuniam pro officiis praestitis solvere. Auditor singulis mensibus 25 scudos accipiebat¹⁶⁰, cancellarius – 15, oeconomus – 7,5, secretarius – 12 florenos, capellanus 11-12, cubicularii (in quorum numero tonsor erat) – 5,5, rectores equorum – 3,7, coquus (qui Roma venit) – 7 scudos¹⁶¹. Viri in nuntiatura occupati praeter pecuniam menstruam accipiebant quoque pecuniam pro documentis conficiendis mittendisque. Quantae mercedes in nuntiatura Varsaviensi saeculi XVII parte posteriore captae esset, in compendio suo edocuit Marescotti¹⁶². Maiorem partem illarum mercedum (2/3 usque ad 3/4 vel etiam 7/8) nuntius accipiebat, reliquam partem cancellarius et auditor.

De caerimoniis diplomaticis et ecclesiastico-liturgicis

Ratio caerimoniarum diplomaticarum iam in nuntii itinere in Poloniam observabatur. Ioannes B. Lancellotti, cum ducatus Toscanae, Modenae et Mantuae transiret, multos visebat et litteras commendaticias tradebat. Vindobonae – sicut eius praecessores fecerunt – aulam imperatoris adiit. Prima caerimonia diplomatica facta est, cum nuntius fines Regni Poloniae transiret, reliquae factae sunt, cum residentias episcopales, capitulares et aulicas ingredieretur¹⁶³.

Cum in Polonia venisset, nullam rem potiorem habuit, quam ut regem publice adiret et breve pontificium ad fidem faciendam ei datum traderet (sed fiebat, ut ille aditus ad regem coram paucis personis daretur vel etiam privatus esset). Postea nuntius saepe a rege audiebatur. Qualis fuerit caerimonia primi ad regem aditus, infra e fontibus conicere studuimus. Similes erant alii eius modi aditus, e. g. ad reginam¹⁶⁴. Longe alia erat caerimonia, cum nuntius nuntiaturam publice ingrederetur et coram rege comitia viseret¹⁶⁵. Cum nuntius munus suum explevisset, regem minore iam cum pompa ante discessum adibat ac salutabat¹⁶⁶.

¹⁶⁰ Si auditor internuntius factus est, a Camera Apostolica singulis mensibus 50 scudos accipiebat. Cfr M. Feldkamp, *Studien und Texten zur Geschichte der Kölner Nuntiatur – I. Die Kölner Nuntiatur und ihr Archiv. Eine behördengeschichtliche und quellenkundliche Untersuchung* (Collectanea Archivi Vaticani 30), Città del Vaticano 1993, p. 101.

¹⁶¹ Cfr G. Marescotti, *Vademecum pro nuntiis*, p. 12-13, 24.

¹⁶² Cfr ibidem, p. 24-26.

¹⁶³ Cfr G. Marescotti, *op. cit.*, p. 35-36, 66-68; H. D. Wojtyska, *op. cit.*, p. 230-231.

¹⁶⁴ Cfr G. Marescotti, *op. cit.*, p. 19, 44-50; H. D. Wojtyska, *op. cit.*, p. 229. De commentariis caerimoniarum diplomaticarum in aula regum Poloniae observandarum tractat liber *Diplomaci w dawnych czasach. Relacje staropolskie z XVI–XVIII stulecia* [Diplomatici veteres. Relationes in Polonia antiqua saec. XVI-XVIII confectae], cur. A. Przyboś et R. Żelewski, Cracoviae 1959, p. 49-56.

¹⁶⁵ Cfr G. Marescotti, *op. cit.*, p. 81-82, 104-106.

¹⁶⁶ Longa relatione a Bongiovanni die 5 V 1563 confecta usus H. D. Wojtyska talem audienciam descriptis. Cfr idem, *op. cit.*, p. 231-232.

Erant etiam praecepta, quae ad vestem, locum et motum nuntii in variis conventibus liturgicis, e. g. in missa a primate vel episcopo quodam dioecesano vel nuntio ipso celebrata, pertinebant¹⁶⁷. In fontibus legimus nuntium adfuisse consecrationi Iacobi Zadzik¹⁶⁸ episcopi Culmensis, conventibus confraternitatis Germanorum et Italorum et festo, in quo coram rege monasterium Varsaviense reformatorum consecratum est¹⁶⁹. Scimus certam quandam caerimoniam observatam esse, cum nuntius in nuntiatura ad se aditum daret¹⁷⁰.

De itinere, quod Roma Varsaviam nuntii fecerunt

Actis nuntiaturae edocemur anno 1622 exeunte et anno 1623 ineunte Secretariatum Status id studuisse, ut novii nuntii quam primum ad munera sua explenda accederent. Ioannes B. Lancellotti duobus mensibus post quam est nuntius factus, comitiis ordinariis in diem 24 I 1623 convocatis Varsaviae adesse ob causas quasdam graves iussus est. Si nobiscum reputaverimus e. g. Cosmum de Torres, die 21 V 1621 nuntium factum, 143 dies Varsaviam iter fecisse, profecto dicemus id fieri non potuisse¹⁷¹. Nuntio, cum per Europam iter faceret, terrae Bohemicae transeundae erant, ubi Bellum 30 Annorum gerebatur. Non est igitur, cur miremur Ioannem B. Lancellotti non duos, sed quinque menses (154 dies a die, quo nuntius est factus) Varsaviam iter fecisse, quamquam operam dedit, ut iusso sibi dato oboediret, nam pestilentia, hieme et bello minime impeditus iam die nonagesimo duo Cracoviam venit. Saeculo XVII nullus nuntius tam cito Varsaviam iter fecit. Quinquaginta annis post Galeazzo Marescotti tempore verno eodem dierum numero in Polonię venit.

Intra diem 11 et 19 XI nuntiaturum apostolicam Varsaviensem reliquit archiepiscopus Cosmus de Torres, qui die 5 IX 1622 cardinalis est factus, die autem

¹⁶⁷ Cfr G. Marescotti, *op. cit.*, p. 50-51, 90-95.

¹⁶⁸ Quae consecratio facta est die 13 IV 1625 in collegiata Varsaviensi (consecrator: I. B. Lancellotti; conconsecratores: Hieronymus Cielecki, episcopus Plocensis, Stanislaus Lubieński, episcopus Luceoriensis) – cfr A. Mańkowski, *Ingres biskupa Jakuba Zadzika do katedry chełmińskiej w r. 1625* [De ingressu episcopi Iacobi Zadzik in cathedralm Culmensem anno 1625 facto], „Zapiski Towarzystwa Naukowego w Toruniu” 6 (1925) n. 12, p. 190-191.

¹⁶⁹ Caeremoniae reformatorum in locum ab eis electum (qui fuit locus Varsaviae ad plateam Senatoriorum situs) sollemniter introducendorum praefuit episcopus A. Lipski, praesentibus Sigismundo III rege et nuntio, quem comitatus est Aemilius Altieri auditor. Cfr A. J. Szteinke, *Kościół Świętego Antoniego i klasztor franciszkanów-reformatorów w Warszawie 1623–1987* [De ecclesia S. Antonii et monasterio Franciscanorum-Reformatorum Varsaviensi annis 1623–1987], Cracoviae 1990, p. 49-50.

¹⁷⁰ Cfr U. Fink, *op. cit.*, p. 136-137.

¹⁷¹ Temporibus, de quibus agimus, Antonio Santacroce tempore verno et aestivo anni 1627 contigit, ut 90 dies tantum Roma in Polonię iret. Sed Mario Filonardi (1635) 386 diebus opus fuit, ut Cracoviam veniret. Cfr ANP, vol. 1, p. 245, 246, 250, 252, 254, 257.

22 eiusdem mensis conprotector Poloniae apud Sedem Apostolicam. Difficulatibus quibusdam¹⁷² impeditus ac in adiutoribus, *facultatibus* (23 XI 1622) et litteris commendaciis (3–10 XII 1622) comparandis occupatus successor eius, Ioannes B. Lancellotti, demum mense Decembri exeunte Romam reliquit. Verisimile videtur eum petisse Venetas per Viterbum, Urbevetum, Perusiam (ubi studiis vacavit), Arretium et Florentiam¹⁷³, ubi die 30 XII constitit. Florentiae aliquot dies commoratus est, ut viseret Alphonsum Giglioli nuntium, Ferdinandum II de Medici, Toscanae magnum ducem, Laurentium de Medici ducem, Carolum de Medici cardinalem et Iacobum Serra cardinalem¹⁷⁴.

E litteris commendaciis, quas Ioanni B. Lancellotti Curia Romana dedit, ut eas traderet principibus Mutinensibus (Caesari d'Este, Alfonso II et Alessandro cardinali) et principibus Mantuanis (Ferdinando Gonzaga, Eleonorae et Vincentio II Gonzaga cardinali¹⁷⁵), conici potest eum iter fecisse per Bononię, Mutinam, Mantuam, Veronam et Patavium. Quantum temporis in horum principum terris nuntius Varsaviensis commoratus sit, non liquet; scimus eum, quamvis in Republica Veneta pestilentia saevisset, demum die 17 I Venetas reliquisse¹⁷⁶. Non est igitur, cur miremur Secretariatum Status iam tum turbari coepisse. Inde a die 28 I 1623 card. Ludovisi internuntio Francisco Cirioli iterum ac saepius scripsit utilius esse, si comitia proferrentur¹⁷⁷. Verisimilium videtur utrumque nuntium – Cosmum de Torres eiusque successorem ante diem 17 I Venetiis convenisse¹⁷⁸.

Proxima urbs, quam Ioannes B. Lancellotti mense Ianuario exeunte et Februario ineunte anni 1623 petivit, Vindobona fuit, sed per quae oppida iter fecerit, nescimus¹⁷⁹. Parum idonea tempestate impeditus Vindobonam serius, quam speraverat, venit. Vindobonae inde a die 4 II responsum card. Francisci Dietrichstein exspectabat, quem per litteras consilium (et fortasse armatorum praesidium) rogavit, quia Moravia a Gabriele Bethlen aliisque exercitibus in-

¹⁷² Cfr BV, Barb. Lat. 6621, f. 72r.

¹⁷³ Galeazzo Marescotti in suo *Vademecum* descriptis via, qua itum est Roma Venetas, id est ad litus septentrionale maris Adriatici per regiones, quae ad Status Ecclesiasticum pertinebant. Cfr ibidem, p. 95–96.

¹⁷⁴ Sex litterae commendaticiae his personis destinatae conscriptae sunt Romae die 25 XI 1622 – cfr AV, Arm. XLV 20, f. 151v–154v.

¹⁷⁵ Sex litterae commendaticiae his personis destinatae conscriptae sunt Romae die 25 XI 1622 – cfr AV, Arm. XLV 20, f. 155r–158v.

¹⁷⁶ Cfr BV, Barb. Lat. 6583, f. 82r.

¹⁷⁷ Cfr BV, Barb. Lat. 6621, f. 77r.

¹⁷⁸ Card. C. de Torres pestilentia saeviente coactus est, ut 20 dies (inde a die 5 usque ad diem 25 I 1623) Venetiis commoraretur. Cfr Appendix N, B. 33.

¹⁷⁹ Nuntius via cursuali Polonica uti potuit (cfr A. Śnieżko, *Trakt pocztowy z Krakowa do Wenecji* [Via cursualis, quae Cracovia Venetas ferebat], „Filatelist” 5 (1958) n. 15, p. 295). Hanc partem itineris nuntii Honorati Visconti (1630) descriptis W. Biliński, in: ANP, vol. 24, pars 1, Romae 1992, p. XXXI.

festabatur. Cardinalis Dietrichstein responsum nescimus. Verisimile videtur Ioannem B. Lancellotti die 14 vel 15 II Vindobona profectum esse et uno die venisse in oppidum Mikulov, ubi residentia cardinalis fuit. Die 15 II card. Franciscum Dietrichstein convenit, a quo animo benevolo, hospitaliter ac cum honoribus debitibus exceptus est. Nuntius breve pontificium et litteras commendaticias a secretario Status sibi datas cardinali tradidit. Quamquam plurima nix cecidit, in oppido Mikulov non est commoratus et iam die 16 II Cracoviam properavit. Commoratus non est nisi Olomucii, sicut antea card. de Torres fecit, quo in oppido sedes episcoporum Moraviensium fuit. Ex oppido Mikulov ad Benedictinorum abbatiam Tineciensem prope Cracoviam sitam, ubi triduum commorari cogitaverat, octo diebus venit, id est pro tempore hiberno celeriter. Martinus Ruszkowski de Roksice, huius abbatiae praefectus, adventum nuntii notarialiter confirmavit¹⁸⁰.

Cum nuntius morbo correptus esset, mansit Cracoviae usque ad diem 15 fere mensis Aprilis. Significationibus Francisci Antonii Cirioli edocemur eum post Pascham Cracovia Varsaviam profectum esse. Cum ver iam esset, fortasse – sicut paulo antea marescalcus eius aulae, qui ornamenta residentiae portanda curaverat – die 16 IV naviculam concendit¹⁸¹, in qua Vistula vectus die 27 IV, quae fuit feria quinta, mane demum Varsaviam venit.

De Ioannis B. Lancellotti munere Varsaviensi inaugurato

Varsaviae Ioannes B. Lancellotti officia explenda recepit ab Antonio Francisco Cirioli internuntio, qui res Sedis Apostolicae curavit in comitiis, quibus nuntius, cum serus venisset, interesse non potuit. Iam die 29 IV Lancellotti aulicis quibusdam aditum ad se dedit. Speravit se a rege die 30 IV auditum iri, sed auditus est die Dominica insequentia, quae fuit die 7 V. Nuntius litteras credentiales regi tradidit et de colloquiis in Valle Tellina habitis rettulit¹⁸². Verisimillimum videtur regem cum nuntio de Andrea Lipski, cancellario magno Regni, ad episcopatum Vladislaviensem efferendo collocutum esse (qua re explicari potest, cur statim post munus Varsaviense initum processum informativum eius suscepit atque paucis diebus peregerit). Die 5 mensis Mai Lancellotti Varsaviae primam epistulam ad Congregationis de Fide Propaganda praefectum dedit. Quam epistulam aliae plurimae Romam missae consecutae sunt.

¹⁸⁰ Cfr A. 2.

¹⁸¹ De Vistulæ navigatione, de rebus flumine Cracovia Varsaviam transportandis deque pretio fuse disputavit G. Marescotti, *op. cit.*, p. 28. De locis, quibus Varsaviam navigantes consistere et pernoctare potuerunt, cfr ibidem, p. 100-101.

¹⁸² Primam eius generis audientiam novi nuntii descripsit G. Marescotti, *op. cit.*, p. 18.

6. De nuntii litteris diplomaticis

De eis, qui ad nuntium litteras miserunt, deque eis, ad quos nuntius litteras misit

De secretariatu pontificio

Post Concilium Tridentinum Sedes Apostolica plura vincula cum civitatibus Europaeis iungere coepit, qua re quoque factum est, ut Secretariatus Status institueretur. Nomen *segreteria di stato di Sua Santità...* primum anno 1605 adhibitum est, id est cum Paulus V pontificatum suum iniret. Secretariatus Status nepotibus papalibus multos annos subiectus erat¹⁸³. Praefuerunt ei consanguinei pontificum maximorum; quod attinet ad tempora, de quibus agimus, viri nominandi sunt hi: card. Ludovicus Ludovisi – Gregorii XV consanguineus, et card. Franciscus Barberini – filius fratris Urbani VIII. In usu curiali erat, ut omnes litterae epistulaeque nuntiaturarum ad cardinalem nepotem mitterentur. Is cardinalis vel subiectus ei *secretarius domesticus in capite*, qui annis 1623–1628 fuit Laurentius Magalotti, alias consanguineus Urbani VIII, cotidie de rebus praesentibus pontifici maximo referebat, ut caperentur consilia ad negotia externa pertinentia, quae per regum legatos Romae commorantes et omnes nuntios curabantur. Magalotti praefuit primo Secretariatu Brevium (fuerunt enim duo), cuius munus erat confidere litteras, quas pontifex maximus principibus et dominis laicis mittebat. Magalotti praeterea id curabat, ut litterae, quas varia dicasteria Romana mittebant, subiectis ad regesta conficienda et responsa scribenda traderentur. Inter adiutores eius praecipuum locum obtinebat secretarius Laurentius Azzolini et Petrus Benessa, cui praeter litterarum distributionem cura responsorum scribendorum et epistularum componendorum commissa erat. Adiuvabant eum etiam viri hi: Zenobius Casani, Camillus Gramineo et Ioannes Baptista Muti¹⁸⁴.

Cardinali Barberini subiectus erat Secretariatus Notarum Arcanarum, cui rectorem ipse pontifex maximus praeficiebat. Cardinali nepoti tradebantur

¹⁸³ Cfr A. Kraus, *Secretarius und Sekretariat. Der Ursprung der Institution des Staatssekretariats und ihr Einfluss auf die Entwicklung moderner Regierungsformen in Europa*, „Römische Quartalschrift für Christliche Altertumskunde und für Kirchengeschichte“ (infra citatur: RQAKG) 55 (1960), p. 75; J. Semmler, *Das päpstliche Staatssekretariat in den Pontifikaten Pauls V. und Gregors XV. 1605–1623*, Freiburg im Breisgau 1969; W. Reinhard, *Papstfinanz und Nepotismus unter Paul V. (1605–1621)*, Stuttgart 1974; DHP, p. 1555–1557 (*Secrétaire d'État*).

¹⁸⁴ Cfr A. Kraus, *Secretarius und Sekretariat...*, p. 78sq; idem, *Das Archiv Magalottis, Staatssekretärs Urbans VIII. von 1623 bis 1628*, in: *Hundert Jahre Deutsches Priesterkolleg beim Campo Santo Teutonicu 1876–1976. Beiträge zu seiner Geschichte*, cur. E. Gatz (35. Supplementheft der *Römischen Quartalschrift*), Rom–Freiburg–Wien 1977, p. 87–89; idem, *Die Geschichte des päpstlichen Staatssekretariats im Zeitalter der katholischen Reform und Gegenreformation als Aufgabe der Forschung*, „Römische Quartalschrift“ 84 (1989) n. 2 (Festschrift zum einhundertjährigen Bestehen der *Römischen Quartalschrift* und des *Römischen Instituts der Görres-Gesellschaft* Band), p. 9–20, 74–76.

omnes litterae ad nuntios, quas manu propria subscribebat. Is annis 1623–1627 Varsaviam nuntio Lancellotti 335 epistulas misit, a quo 406 epistulas accepit. Dignum est, quod memoremus epistulas responsa continentibus propere missas esse, scilicet intra 3-7 dies, nonnumquam intra 10 dies.

De institutis Romanis

Praeter sex congregations, quae Statum Ecclesiasticum administrandum curabant, iam anno 1588 novem aliae erant, quae rebus totius Ecclesiae gerendis operam dabant. Inde ab anno 1622 nova congregatio, scil. Congregatio de Propaganda Fide, munera sua explebat¹⁸⁵. Cuius secretarius multos annos fuit Franciscus Ingoli, olim adiutor card. Horatii Lancellotti ut auditor Congregationis Concilii annis 1617–1620. Quae erat una e causis, cur inter Franciscum Ingoli et nuntium Lancellotti epistularum commercium frequens esset. Cardinalibus, qui Congregationis socii erant, una e provinciis est comissa, in quas Europa divisa erat. Provinciae Polonae, ad quam Polonia, Lithuania, Suetia et Russia pertinebant, curam habuit card. Octavius Bandino¹⁸⁶. Cum Ioannes B. Lancellotti nuntius apud Polonus esset, 90 epistulas a Congregatione de Propaganda Fide accepit. Nuntius plurimas epistulas misit viris his: Francisco Ingoli, Congregationis secretario, et cardinalibus: Ludovico Ludovisi (Congregationis praefecto), Bandini et Onuphrio.

In numero institutorum et congregationum Romanarum, cum quibus nuntius Lancellotti epistularum commercium frequens habuit, fuit quoque Congregatio pro sacris ritibus et caeremoniis. Quae Congregatio anno 1588 condita est, ut liturgiam Romanam puram servaret. Curabat igitur ritus, festa localia, caerimonias, libros liturgicos et res ad beatificationes et canonizaciones pertinentes. Cardinalis praefectus huius Congregationis fuit etiam decanus Collegii Cardinalium, id est episcopus Ostiae. Tribus epistulis asservatis edocemur Ioannem B. Lancellotti cum ea Congregatione collaboravisse¹⁸⁷.

¹⁸⁵ N. Del Re, *La Curia Romana. Lineamenti storico-giuridici*, Roma 1970; L. Pásztor, *La Curia Romana. Problemi e ricerche per la sua storia nell'età moderna e contemporanea*, Roma 1969; E. Sztafrowski, *op. cit.*, passim. De Congregationis de Propaganda Fide institutione, structura, actionibus et inventario archivi disputaverunt: E. Šmurlo, *La Russia e l'Italia. Collezione di materiali e ricerche storiche sulle relazioni fra la Russia e l'Italia*, vol. 4, Leningrado 1927, p. I-II, 1-47; N. Kowalsky, *Inventario dell'Archivio storico della S. Congregazione „de Propaganda Fide”*, „Neue Zeitschrift für Missionswissenschaft” 17 (1961), p. 9-23, 109-117, 191-200; T. Zdziech, *Archiwum historyczne Kongregacji Rozkrzewiania Wiary* [Archivum historicum Congregationis de Propaganda Fide], „Informationes. Biuletyn Papieskiego Instytutu Studiów Kościelnych” 3 (1984), p. 5-50; M. Jačov, *Spiski Kongregacije za Propagandu Vere 1622–1644* [Acta Congregationis de Propaganda Fide 1622–1644], vol. 1, Belgradi 1986, p. IX-XVI.

¹⁸⁶ Cfr J. Olšr, *op. cit.*, p. 201-225.

¹⁸⁷ De Congregationis fatis et consiliis plurima scripsit W. Gramatowski, *Polonica liturgiczne w Kongregacji Obrzędów 1588–1632. Studium z dziejów Kurii Rzymskiej* [Polonica liturgica in Congregatione Sacrorum Rituum 1588–1632. Studia ad Curiae Romanae historiam pertinentia] (*Bobolanum* 13), Romae 1988, p. 33-60, 213, 225-226, 302-305. Cfr etiam N. 38.

Congregatio Romana, quae aetate, de qua agimus, multas res Polonas quae-rebat, fuit Congregatio pro executione et interpretatione Concilii Tridentini. Quae Congregatio instituta est anno 1564, ut secundum Concilii praecepta Ecclesiam reformaret. Tractabat igitur relationes episcoporum de statu dioce-sis, residentias episcopales, cumulationem beneficiorum, vitam monasteriale, seminaria dioecesiana, collegia pontificia, alia¹⁸⁸.

Epistularum commercium inter Secretariatum Status et nuntium Lancelotti, multae significationes eius litterarum et acta Congregationis Concilii annorum 1623–1627 magnam partem pertinebant ad cumulationem beneficio-rum et episcoporum stipendia, quae in alias sedes episcopales transferebantur. Congregatio Concilii, cum Sedes Apostolica Polonię plurimi duceret, in prae-ceptis Concilii Tridentini interpretandis parum constans erat. Qua re fiebat, ut dispensationes papales ad beneficia incompatibilia pertinentes darentur. Con-gregatio rogantibus non recusabat, nisi cum crimen evidens esset. Rei nullis poenis afficiebantur, sed tantum admonebantur¹⁸⁹.

Epistularum commercium fuit etiam inter nuntium et Congregationem Sancti Officii¹⁹⁰, Rotam Romanam et Cameram Apostolicam¹⁹¹.

De Poloniae protectoribus Romanis

Qui protectores apud pontificem maximum constituti id egerunt, ut am-plius cardinalis curialis Poloniae res ac rationes politicas, politico-ecclesiasticas et beneficiales curaret. Cum protector plurima negotia habuisset, factum est, ut viceprotector institueretur. Qui utrum a protectore an a rege ipso factus sit, non liquet. Cum Ioannes B. Lancellotti nuntius Varsaviensis esset, protector Poloniae usque ad mensem Iunium 1623 fuit card. Alexander Peretti, dictus etiam Montalto. Viceprotector autem fuit inde a mense Septembri anni 1622 card. Cosmus de Torres, qui post diem 25 mensis Augusti anni 1623 protector Poloniae est factus¹⁹². Qui viri quid egerint, discimus ex multis epistulis, quas ad Sigismundum III regem scripserunt quasque ab eo acceperunt¹⁹³. In harum

¹⁸⁸ Cfr *La Sacra Congregazione del Concilio...*, p. 13-50, 51-161, 163-177.

¹⁸⁹ Quam rem tractavit in disputatione doctorali K. Nitkiewicz, *La pratica della Sacra Congregazione del Concilio circa il cumulo di benefici in Polonia (1564–1752)*, Romae 1991; Cfr etiam W. Wójcik, *Kościelne ustawaodawstwo partykularne w Polsce przedrozbiorowej na tle powszechnego prawodawstwa kościelnego* [Leges particulares in Polonia libera latae cum legi-bus universis in Ecclesia latis comparantur], in: *Księga tysiąclecia katolicyzmu w Polsce* [Liber millenii religionis catholicae in Polonia], vol. 1, Lublini 1969, p. 423-505; idem, *Ze studiów nad synodami polskimi* [Studia ad synodos Polonas pertinentia], Lublini 1982.

¹⁹⁰ Cfr DHP, p. 907-912 (*Inquisition /époque moderne/*), 1515-1517 (*Saint-Office /Congréga-tion du/*).

¹⁹¹ Cfr N. Del Re, *op. cit.*, p. 265-275. Etiam vide DHP, p. 326-331 (*Camere Apostolique*).

¹⁹² Cfr J. Wodka, *Zur Geschichte der nationalen Protektorate der Kardinäle an der Römi-schen Kurie*, Innsbruck-Leipzig 1938, p. 22-33; H. D. Wojtyska, *op. cit.*, p. 241-272; DHP, p. 284-286 (*Cardinal protecteur*).

¹⁹³ Autographa harum 72 epistularum inde a die 10 XI 1622 usque ad diem 15 IV 1627 scriptarum asservata sunt in BV, Capp. 252A, f. 1-194v.

epistularum numero sunt epistulae, quibus regis filii ad episcopatum Varmiensem et Vratislaviensem et candidati ad alias sedes episcopales commendabantur. Octo epistulis nuntius Lancellotti ad cardinalatum commendatur.

De agentibus Polonis in Italia

Diplomatici Poloni Romae et Neapoli commorantes inde a saeculo XVI medio agentes vocabantur (et dignitate secretariorum regiorum ornabantur). Qui viri magistratum perpetui procuratoris regii cum poenitentiaria linguae Slavicae in basilica S. Petri saepe coniungebant¹⁹⁴. Agentes regii Romae annis 1622–1624 fuerunt Bartholomaeus Powiński et Remigius Koniecpolski. Bartholomaeus Powiński inde ab anno 1600 abbas commendarius apud Cistercienses in Monasterio Andreoviensi fuit. Remigius Koniecpolski (ca 1592–1640) fuit frater Stanislai, campiductoris vel hetmani generalis Regni Poloniae. Studiis in Universitate Bononiensi absolutis secretarius regius et abbas Andreoviensis est factus, inde autem ab anno 1623 Sigismundi III iussu Romae petit, ut Polonis contra Suecos auxilium ferretur. Die 17 V 1627 praecognitus est in episcopatum Culmensem, dioecesim per delegatum rexit¹⁹⁵. In epistulis nuntii agitur etiam de agentura Neapolitana, cui praefuit Adamus Mąkowski, qui a. 1623 mortuus est.

De ceteris nuntiis apostolicis

Necesse erat nuntium Lancellotti de omnibus rebus, quae in Europa gerentur, certiorem fieri. Plurimi informatores erant legati papales in aliis civitatibus Europaeis residentes. Itaque iam cum nuntiaturam suam iniret, commercium epistularum cum nuntio Coloniensi¹⁹⁶ et Vindobonensi¹⁹⁷ iunxit. Praeterea Secretariatum Status rogavit, ut apud nuntium Venetum commendaretur. Postea epistularum commercium perpetuum cum nuntio Veneto, Vindobonensi et Lucernensi habuit. In commercio inter nuntios habendo card. Barberini intercedebat.

Certo scimus Ioannem B. Lancellotti, ante quam Varsavię venisset, per litteras collocutum esse cum internuntio Antonio Francisco Cirioli, qui, postquam Cosmus de Torres Varsavię reliquerat, 23 hebdomadas, id est inde a die 19 XI 1622 usque ad diem 29 IV 1623, res Sedis Apostolicae apud Polonus curavit¹⁹⁸. Inter viros, cum quibus Lancellotti epistularum commercium iunxit,

¹⁹⁴ Cfr H. D. Wojtyska, *op. cit.*, p. 425; H. Wisner, *Dyplomacja polska w latach 1572–1648* [Res Diplomatica Polonorum annis 1572–1648], in: *Historia dyplomacji polskiej* [Historia Rei Diplomaticae Polonorum], vol. 2 – 1572–1795, cur. Z. Wójcik, Varsaviae 1982, p. 141–142.

¹⁹⁵ Cfr HC, vol. 4, p. 147; L. Podhorodecki, *Stanisław Koniecpolski ok. 1592–1646* [Stanislaus Koniecpolski ca 1592–1646], Varsaviae 1978, p. 15, 49.

¹⁹⁶ Petrus Franciscus Montoro.

¹⁹⁷ Carolus Caraffa.

¹⁹⁸ Cfr ANP, vol. 1, p. 249.

praecipuum locum obtinebat Carolus Magalotti, qui mense Novembri anni 1624 accepit potestatem Vladislaum Vasa principem Romae excipiendi¹⁹⁹.

De eis, qui in regionibus ad nuntiaturam pertinentibus cum nuntio per litteras collocuti sunt

Separatum corpus efficiunt epistulae a nuntio ad regem, familiam eius et Polonus amplissimos datae. Inde a saeculo XVI exeunte his epistulis separatus regestrorum liber conficiebatur, cuius non est reperta nisi pars quaedam, in qua inter alia occurrunt nomina haec: Paulus Piasecki – unus e secretariis, quibus rex maxime confidebat, Stanislaus Łubieński, vicecancellarius Regni, Laurentius Gembicki, archiepiscopus Gnesnensis, Iosephus Velaminus Rutski, metropolita Kioviensis unitus, Alexander Patavino (Patavinus), commissarius reformationi peragendae et reformati (Ordo Fratrum Minorum Reformatorum) in Poloniam deducendis, Ioannes Stanislaus Sapieha, marescalcus magnus Lithuanus, Thomas Zamoyski, palatinus Kioviensis, Nicolaus Spytek Ligęza, castellanus Sandomiriensis. Occurrunt etiam nomina hominum humili loco natorum.

De epistularum generibus

De relationibus diplomaticis

Epistulae a nuntio ad Secretariatum Status et alia dicasteria Romana datae Italice, nonnumquam Latine scriptae sunt. Relationes diplomaticae hebdomadariae a nuntio ad Curiam Romanam datae constabant ex aliquot epistulis monothematicis, quae in unum *dispaccio* coniungebantur quaeque in uno involucre positae *plico*, qui dicitur, efficiebant. In epistula ceteris epistulis praemissa secretarius nuntii scribebat se epistulas Romae missas accepisse vel rogabat, qua re nullae epistulae sibi missae essent, et describebat epistulas a se datas²⁰⁰. Secretarius nuntii unamquamque rem in separata epistula exponere debuit; significationes (*avvisi*) collocandae erant (sine commentario) vel in epistula separata vel in fine relationis. Quibus praeceptis Lancellotti parere coepit, postquam die 17 VI 1623 vituperatus est. Erant etiam praecepta pertinentia ad genus et modum chartae ac ad partes necessarias relationis (institutum,

¹⁹⁹ Commentarii a Vladislao IV principe in itinere diebus 17 III 1624 – 11 V 1625 compositi – cfr Berolinum, Königliche Bibliothek, ms. 16. Eius breve ad fidem faciendam editum publicavit A. Theiner – cfr *Vetera Monumenta Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae gentiumque finitimarum illustrantia* (infra citatur: VMPL), ed. A. Theiner, vol. 3, Romae 1863, 374. Carolus Magalotti fuit consanguineus Laurentii Magalotti, cuius supra mentionem fecimus.

²⁰⁰ De actis nuntiaturae aetate Gregorii XV pontificis maximi et Urbani VIII pontificis maximi confectis optime iudicaverunt: NBD, Bd. 6/1, p. XLII-LII; A. Kraus, *Das päpstliche Staatssekretariat unter Urban VIII. 1623-1644* (29. *Supplement der Römischen Quartalschrift. Forschungen zur Geschichte des päpstlichen Staatssekretariats* 1), [Rom–Freiburg–Wien 1964], p. 9-20, 74-76; J. Semmler, *op. cit.*, p. 38-46.

salutatio, datum, nomen subscriptum, inscriptio cursualis, alia)²⁰¹. Epistulae, quae a nuntio ad Curiam Romanam mittebantur, saepissime a Dominico Roncalli, secretario Ioannis B. Lancellotti, conficiebantur, paucae tantum epistulae manu ipsius nuntii scriptae sunt. Regestrum (id est copiarius) litterarum diplomaticarum, a scriba anonymo confectum, Lauri in familiae Lancellottorum archivio asservatum est.

Litterae secretissimae notis arcanis scribebantur vel ab ipso diplomatico papali conficiebatur, quae Italice *di proprio pugno* vocabantur et *in propria mano* cardinalis secretarii Status tradi debebant. Ioannes B. Lancellotti primas epistulas notis arcanis scriptas misit demum die 15 VI 1624, id est 18 mensibus post quam nuntius factus est. Ex quo conici potest prius nuntium vel de rebus gravissimis non nuntiavisse vel sero notas arcanae accepisse. Notae arcanae, quibus usus est, non sunt asservatae, sed aliquot epistulae notis arcanae scriptae et lectae repertae sunt. Secretarii Status iussu anno 1624 notae arcanae mutatae sunt.

De processibus informativis

Post Concilium Tridentinum nuntius debuit quaerere de vita, moribus et orthodoxia catholica eorum, qui episcopatu digni esse videbantur (processus informativus in partibus)²⁰². Ea, quae collegit, Romam mittebat, ut processus definitivus susciperetur. In commissione quadam apta Vaticana unus e cardinalibus (saepissime protector vel viceprotector Poloniae), postquam documenta cognovit, „propositionem”, quae vocabatur, praeparabat, ex qua omnes commissionis socii conventu convocato rem decernebant²⁰³. Processus informativus aliquot diebus vel pluribus, sed non plus quam nonaginta peragebatur. Testes interrogabantur de candidato et dioecesi, quae ei assignata est. Acta omnia Latine conscribebantur et in archivo Congregationis Consistorialis asservabantur. Actis omnis processus informativi inserebatur professio fidei et sacramentum fidelitatis candidati et variae res adiungebantur, e. g. confirmatio studiorum absolutorum. Actis processuum informativorum a Ioanne B. Lancellotti primo biennio praeparatorum nullae res adiunctae sunt. Lancellotti, cum nuntius Varsaviensis esset, duodecim processus informativos peregit.

²⁰¹ Cfr K. Repgen, *Zur Diplomatik der Nuntiaturberichte – Dienstvorschrift für das Abfassen von Avvisi aus dem Jahre 1639*, RQAKG 49 (1954), p. 123-126.

²⁰² Cfr DHP, p. 47-49 (*Administration pontificale*), 288 (*Carrière*), 1178-1183 (*Nomination des évêques*). Etiam: H. Jedin, *Kirche des Glaubens – Kirche der Geschichte*, vol. 2, Freiburg im Breisgau 1966 (art. *Die Reform des bischöflichen Informativprozesses auf dem Konzil von Trient*), p. 449-450 et 458; H. Fokciński, *Conferimento dei benefici ecclesiastici maggiori nella Curia Romana fino alla fondazione della Congregazione Concistoriale*, „Rivista di Storia della Chiesa in Italia” (infra citatur: RSCI) 35 (1981), p. 149-150; ANP, vol. 1, p. 28-29.

²⁰³ Cfr *Propozycje konsistorialne w XVII wieku. Omówienie. Teksty polskie* [De propositionibus consistorialibus saeculi XVII. Enarratio. Textus Poloni], ed. H. Fokciński et alii, Romae 1994.

De actis visitationis

Sixtus V bulla anno 1585 edita decrevit, ut episcopi dioeceses visitarent et acta visitationum conficerent. Nuntio autem in instructione praeceptum est, ut eas res exsequendas curaret. Immo legatus pontificius visitationum collegiorum et seminariorum curam habere debuit. Acta visitationis utriusque generis nuntius Romam mittebat.

De dispensationibus, beneficiis et privilegiis

Cum nuntius iurisdictionem gereret, conficiebantur „acta contentiosa” (id est iudiciale) et „acta gratiosa” (id est ad beneficia et dispensationes datas pertinentia)²⁰⁴. Nos, cum acta iudiciale non sint asservata, non possumus nisi animum lectoris referre ad epistulas, in quibus de controversiis a nuntio diuidicantis agitur. Acta nuntiaturae Ioannis B. Lancellotti non continent libros „expeditionum gratiarum”, in quos acta gratiosa publicata inferebantur. Asservata sunt autem autographa dispensationem, imprimis dispensationum matrimonialium, dispensationum ab aetate, qua sacerdotem creari licebat (quae dispensatio data est e. g. Carolo Ferdinando Vasa principi), dispensationum, quibus impedimentum caedis fortuitae tollebatur, dispensationum a ieunio servando, denique dispensationum iubilei causa datarum.

Altera pars multarum dispensationum pertinebat ad beneficiorum cumulationem. In Polonia potestas impertiendi eas dispensationes nonnumquam dabatur legatis papalibus, nuntii autem sola iussa pontifici maximi exsequebantur. Quae res actis nuntiaturae Ioannis B. Lancellotti optime confirmatur. Scimus anno 1623 nuntium rogavisse dispensationem ab excommunicatione pro Alexandro Koniecpolski, succamerarii Siradiensis et fratri patruelis Stanislai Koniecpolski campiductoris generalis, sed ea res singularis fuit et viri docti eam disputandam suscepserunt.

Quod ad privilegia data pertinet, in memoriam revocare possumus e. g. permissionem missas in conclavibus familiae regiae celebrandi, permissionem altaribus portabilibus in itinere utendi, permissionem mitra et pastorali utendi.

De brevibus et bullis

In numero litterarum et documentorum pontificiorum nominanda sunt brevia ad nominationes, potestates et recommendationes pertinentia. Brevia comitalia laicis et viris potentibus fidem catholicam profitentibus edebantur²⁰⁵.

De re tabellaria

Postquam Sigismundus III Polonię regere coepit, Habsburgorum, agnatorum suorum, commoditati consulens novam viam cursualem instituit. Vindobonae et Venetiis rem tabellarium Polonam duo mercatores Veneti,

²⁰⁴ Cfr ANP, vol. 1, p. 26-27.

²⁰⁵ Cfr W. Tygielski, *op. cit.*, p. 259-261 et 280.

fratres Angeli, curabant. Quorum munus erat epistulas et nuntios urgentes ad regem missos a tabellariis Romanis capere et cursu publico regio ad septentrionem versus mittere. Epistulas a rege datas mittebant Venetas, Romam et Neapolim vel Vindobona Pragam²⁰⁶.

Saeculo XVII in nuntiaturam Varsaviensem feria quarta via, quae per Cracoviam ferebat, epistulae e Polonia, Germania et Italia meridionali perveniebant, usque autem ad feriam quartam vespertinam epistulae in eas terras mitti poterant. Etiam feria quarta vel quinta epistulae Gedania, e Prussia Regia, Batavia, Hispania et Francogallia adferebantur, sed epistulae in eas terras mitti non poterant nisi feria sexta. Epistulae e Lithuania die Dominica perveniebant, feria quinta in Lithuaniam mitti poterant.

Nuntii Varsavienses, cum epistulas suas Romam mitterent, imponebant eas in obvolucra, in quibus nuntii Vindobonensis nomen et inscriptio cursualis erat. Si ad alios nuntios apostolicos epistulas mittebant, nuntio Germanico intercessore utebantur. Nuntius eiusque aulici epistulas in Polonia gratis mittere et accipere poterant. Pro epistulis acceptis vel missis Vindobonam nuntius 24 grossos solvebat, pro epistulis Venetas vel in Italiam meridionalem missis 30 grossos solvebat. Pro epistulis a cursoribus citis aestate allatis 67 scudi solvendi erant, a cursore citissimo – 200 ungeri²⁰⁷.

7. Quid nuntius egerit

De quaestionibus ecclesiasticis

Nuntius Ioannes B. Lancellotti imprimis id egit, ut reformatio Tridentina perageretur, id est ut Sedes Apostolica ad ecclesias locales vim maiorem habere²⁰⁸. Qua in re animum advertit praecipue ad episcopos creandos, res internas episcopatus Poloni, ordinum reformationem et unionem ecclesiasticam. Plerumque fiebat, ut Sigismundus III rex Iesuitis consiliantibus aliquem episcopum creandum pontifici maximo commendaret²⁰⁹. Cum Ioannes B. Lancellotti nuntius Varsaviensis esset, Gregorius XV et Urbanus VIII sedecim presbyteros episcopos fecerunt; dignum est, quod memoretur ad episcopatum non esse elatos nisi 9 presbyteros, 7 autem in novam dioecesim esse translatos. E fontibus

²⁰⁶ Cfr P. Dąbkowski, *Rys urządzeń pocztowych w dawnej Polsce* [De institutis cursualibus in Polonia antiqua], Cracoviae 1903; *400 lat poczty polskiej. Przewodnik po wystawie* [Quatuor saecula cursus publici Polonorum. Dux visentium expositionem], Varsaviae 1958, p. 18-20; A. Śnieżko, *Trakt pocztowy...* [Via cursualis...], p. 295; idem, *Historiografia poczty polskiej* [Historiographia cursus publici Polonorum], Varsaviae 1959.

²⁰⁷ Cfr G. Marescotti, *Vademecum pro nuntiis*, p. 79-80.

²⁰⁸ Ecclesia Polona tum qualis fuerit, cfr *Kościół w Polsce* [Ecclesia Polona], t. 2: *Wieki XVI-XVIII* [Saecula XVI-XVIII], cur. J. Kłoczowski, [Cracoviae 1969].

²⁰⁹ Cfr J. Grzywacz, *Nominacje biskupów w Polsce przedrozbiorowej* [Nominationes episcoporum in Polonia libera], Lublini 1960.

conicimus Ioannem B. Lancellotti ad eas nominationes parvam tantum vim habuisse, scilicet candidatum aestimare potuisse, cum processus informativus ageretur. Praecipue fuerunt nominationes episcopales filiorum regis: Ioannis Alberti et Caroli Ferdinandi.

Ex actis nuntiaturae Ioannis B. Lancellotti cognoscimus Congregationem de Propaganda Fide de hierarchis Polonis discordibus et ambitiosis male iudicavisse. Litigabant enim de praecedentia et de pecunia, quae e dioecesis relictis et nuper occupatis redibat (in memoriam revocari potest e. g. vetus controversia inter Stanislaum Kiszka, episcopum Samogitiensem, et Iosephum Velaminum Rutski, vel episcopum Stanislaum Łubieński et episcopum Andream Lipski). Nuntius non solum controversiis ecclesiasticis intestinis se immiscere potuit, sed etiam episcoporum rationem politicam aestimare, cui rei documento est id, quod data est ei facultas in carcerem coniciendi et iudicandi eos, qui in regem conspiravissent. Cum quibusdam hierarchis nuntius epistularum commercium habuit, quibusdam autem hierarchis per occasionem festorum ecclesiasticorum et comitiorum familiariter usus est. Lancellotti quid de statu vitae monasterialis in Polonia putavisset, in relatione ad Congregationem de Propaganda Fide die 2 VI 1624 missa scripsit. Qua in relatione de plurimis virorum ordinibus pessime iudicavit, quod ad haereticos ad fidem catholicam perducendos parum essent idonei²¹⁰. E Ioannis B. Lancellotti verbis conicere possumus eum sensisse ordines Polonus ab Italis superioribus statim reformatos esse. Id potissimum egit, ut in Poloniā reformati, capucini, magistri monasticales, praecipue Iesuitae, et confraternitates ordinum patrocinio utentes dederentur.

Quod ad unionem pertinet, nuntius debuit observare praecepta pertinentia ad unionem Ruthenorum et Armeniorum. Sed in actis nuntiaturae, quae sunt asservata, usque ad finem anni 1624 de unione Armeniorum nihil legimus. Occupatissimus autem erat nuntius in Unione Brestensi confirmanda. Quod nihil est cur miremur, nam munus suum explebat post hierarchiam orthodoxam in Polonia clam denuo institutam, cum uniti cum disunitis acerrime pugnarent.

De actionibus politicis

Instructione prima Ioannes B. Lancellotti iussus est Ecclesiae res tempore, quo comitia haberentur, praecipue curare. Ex quo Lancellotti nuntius factus est, Varsoviae tria comitia ordinaria convocata sunt, quae habita sunt diebus his: 24 I – 5 III 1623, 7 I – III 1625, 27 I – 10 III 1626. Praeterea duo comitia extraordinaria habita sunt: una Varsaviae diebus 6–27 II 1624, altera Toruniae diebus 10–29 XI 1626. Primis comitiis nuntius non adfuit, vices eius obiit

²¹⁰ De ordinibus Polonis vide: J. Kłoczowski, *Zakony męskie w Polsce w XVI–XVIII wieku* [Ordines virorum Poloni saeculis XVI–XVIII], in: *Kościół w Polsce* [Ecclesia Polona], vol. 2, p. 500-501, 534-541.

internuntius Cirioli. Ipse non adfuit nisi comitiis extraordinariis anno 1624 habitis. De comitiis extraordinariis retulit tribus tantum epistulis²¹¹. Plura cognoscimus de sequentibus comitiis. Quaedam a nuntio de comitiis tradita in aliis fontibus non invenimus. Sed quae nuntius retulit, nullis fere a se additis commentariis illustravit. Videmus praecipue curae nuntio fuisse, quomodo Polonia erga Turciam et Suetiam se gereret.

De Ioannis B. Lancellotti fatis posterioribus

Iam supra dictum est praelatos curiales id egisse, ut ad cardinalatum efferrentur, nuntii autem dignitatem putavisse non esse nisi gradum in eo fine assequendo utilem²¹². Multi nuntiorum reges, in quorum aula versabantur, rogaverunt, ut sibi faverent. Quam rem ut prohiberet, Pius IV, pontifex maximus anno 1565 bullam edidit, ex qua nuntii favore regum exterorum uti vetabantur, sed nonnulli hanc papae voluntatem neglegebant. Etiam Ioannes B. Lancellotti, cum nuntius apud Polonus factus esset, sperare coepit se ad cardinalatum per venturum esse et contigit ei, ut Sigismundi III, Polonorum regis, favorem magnum sibi conciliaret. Sed nuntius Lancellotti non fuit primus, quem rex in cardinalis dignitate appetenda adiuvaret. Scimus enim Claudium Rangoni, nuntium annis 1598–1607, cardinalatum petentem quindecim annos frustra sustentavisse²¹³. Ioanni B. Lancellotti rex octo annos favit²¹⁴. Favere ei coepit iam anno 1623, id est paucis mensibus postquam is nuntius Varsaviam venit. Anno 1627 archiepiscopo Antonio Santacroce successore creato rex Ioannem B. Lancellotti maiore cum cura commendavit. Cum nuntius Varsaviam reliquisset, Dominicus Roncalli, secretarius regis, olim nuntii notarius, regem impellere non destitut, ut ei faveret. Regem fautorem benevolum se praestitisse cognoscimus ex epistulis, quas ad card. Cosmum de Torres, Poloniae protectorem, dedit. Cum Sigismundus rex frustra Ioannem B. Lancellotti apud cardinalem commendavisset, ipsum Urbanum VIII, pontificem maximum, per litteras adiit. Qui tamen dixit Polonorum regem non licere nisi subiectos suos commendare. Qua recusatione rex minime deterritus apud card. Franciscum Barberini, secretarium status, et Honoratum Visconti, qui nuntius Varsaviensis est factus, Ioannem B. Lancellotti commendare non destitut. Pontifex maximus, ut Sigismundum III deleniret, anno 1629 Antonium Santacroce, Ioannis B. Lancellotti

²¹¹ Quas epistulas tractare omisit Ianussius Dorobisz, qui de comitiis extraordinariis anno 1624 habitis monographiam scripsit (J. Dorobisz, *Sejm nadzwyczajny z 1624 roku* [De comitiis extraordinariis anno 1624 habitis], Oppoliae 1994).

²¹² Cfr K. Ganzer, *Der eklesiologische Standort des Kardinalskollegiums in seinem Wandel-Aufstieg und Niedergang einer kirchlichen Institution*, RQAKG 88 (1993), p. 114-133.

²¹³ Cfr W. Leitsch, *Die Bemühungen Zygmunts III. von Polen um die Kardinalswürde für Claudio Rangoni, „Mitteilungen des Österreichischen Staatsarchivs“* 31 (1978), p. 41-51. Vide etiam AV, Garampi Index 190, f. 279-281.

²¹⁴ ANP, vol. 24, p. 102-106.

successorem, et (in pectore) regis filium 17 annorum, Ioannem Albertum, epum Varmiensem, cardinalatu ornavit. Diplomatici papales regi persuadere conati sunt Antonium Santacroce favore eius cardinalem creatum esse. Anno insequentibus exeunte card. Barberini instructionem confecit, in qua Honoratum Visconti, nuntium Varsaviensem, plurimis verbis docuit, quibus rebus Urbanus VIII, pontifex maximus, adductus esset, ut regi Ioanni B. Lancellotti suffraganti denegaret. Maximo argumento fuit id, quod familia Lancellottorum ab Iudeis proavis originem duxit. Sed difficile est explicare, cur pontifex maximus Sigismundi III preces audire noluerit. Regis Polonorum opiniones multae ab aliis quoque pontificibus maximis neglectae sunt. Sine dubio familiarum Romanarum rivalitate factum est, ut Ioannes B. Lancellotti cardinalis non fieret. Urbanus VIII, ut gens sua (Barberini) plurimum valeret, nepotismo ceteras familias longe superavit. Sed non est obliviscendum papam primum id egisse, ut collegium cardinalium e regibus exteris non penderet, deinde Francogallis potissimum favisse. Francogalli timebant, ne Habsburgi eorumque amici in aula papali nimium valerent²¹⁵. His omnibus quoque factum est, ut Ioannes B. Lancellotti ad cardinalatum pervenire non posset.

Iam supra scripsimus episcopum Lancellotti, cum ex Polonia revertisset, in sede sua habitavisse. Utrum Nolam ad tempus quoddam reliquerit, an non, nescimus. Constat eum cum viris quibusdam commercium epistularum habuisse. Annis 1620–1627 ad cardinalem Borghese²¹⁶ et Urbanum VIII pontificem maximum²¹⁷ epistulas scripsit. Praeterea in fontibus legimus annis 1628–1655 Ioannem Baptistam cum Urbano VIII pontifice maximo²¹⁸, cardinalibus Aldobrandini²¹⁹ et Barberini²²⁰, Congregatione Sacrorum Rituum²²¹ et S. Officio²²²,

²¹⁵ Cfr K. Chłędowski, *Rzym. Ludzie baroku* [Roma. De hominibus Barocci], Wratislaviae [1997], p. 95–103.

²¹⁶ Epistula cardinalis Borghese ad Ioannem B. Lancellotti Romae die 28 X 1620 scripta (BV, F. Borghese II 422, f. 383r) et responsum episcopi Nolae die 17 XII 1620 scriptum (BV, F. Borghese I 858, f. 291rv).

²¹⁷ Brevia VII 1625 et XI 1627 edita – cfr BV, Borg. Lat. 74, f. 19r et 100r.

²¹⁸ Quod fuit commercium documentorum pertinentium ad dispensationes matrimoniales, potestates novos ordines condendi, altaria privilegiata, alia. Vide AV, Sec. Brev. 671, f. 310r et 333v, etiam BV, Borg. Lat. 74, f. 134r, 153r, 163r, 186r, 189r.

²¹⁹ In mente habemus epistulam ab episcopo Ioanne B. Lancellotti Nolae anno 1637 datam – Roma, Archivio Doria-Landi-Pamphili (infra citatur: ADLP): busta 323, f. 24rv.

²²⁰ Commemoranda sunt saltem duae epistulae Romae die 3 VI et 8 X 1628 datae. Vide BV, Barb. Lat. 6336, f. 149r et 285r.

²²¹ Quaestiones liturgicae et aliae quoque ad ordines, qui illic erant, pertinentes in sessionibus huius Congregationis annis 1613–1626 habitis examinabantur. Singula regesta de diebus 23 IX 1623, 22 I 1624, 7 VII 1625, 6 VII et 12 IX 1626 – vide Roma, S. Congregazionis Riti: Decreta 1622–1626, f. 76r, 89v, 168r, 278v, 312v.

²²² Anno 1627 diebus 20 et 27 III a Congregatione Sancti Officii scriptae sunt duae epistulae ad vicarium episcopalem Nolanum (vide BV, Barb. Lat. 6335, f. 65v–66r et 72v), anno insequentibus 1628 diebus 13 VI, 14 X et 13 XII ad episcopum Nolanum (vide BV, Barb. Lat. 6336, f. 149r, 285r, 356v).

Francisco Ingoli²²³, secretario Congregationis de Propaganda Fide, Aemilio Altieri²²⁴, olim auditore (qui postea archiepiscopus, cardinalis et Clemens X pontifex maximus factus est) mutuum epistularum usum habuisse. Quod ad Polonos pertinet, nominandus est Dominicus Roncalli, olim secretarius, Stanislaus Łubieński, episcopus Plocensis, et Albertus *Mielacevius*²²⁵, canonicus Luceoriensis.

Postremis vitae annis, inde ab anno 1634, valetudo Ioannis Baptistae in gravescebat; podagra maxime laborabat. Undecim annis post ad podagram pedum morbus accessit. Sabbato die 23 VII anno 1655, senex 80 annorum, cum quadraginta annos episcopi officiis functus esset, aegrorum sacramentum accepit, quod ei Ioannes Baptista Tellecchi, praelatus decanus capituli cathedralis, administravit, et hora 12 mortuus est. Biduo post, die 25 VII, in crypta cathedrae Nolanae sinistra altare magnum sepultus est²²⁶. In cathedra, quam episcopus Lancellotti pulcherrime ornavit, in presbyterio medio, in quo stallae chori canonicorum capituli cathedralis sunt, supra cryptam, in qua Ioannes Baptista Lancellotti est sepultus, consanguineus eius Octavius Maria Lancellotti, secundus marchio et arcis Lauranae possessor, gratia ductus tabulam marmoream poni iussit²²⁷.

²²³ Quod testatur vel epistula Francisci Ingoli ad Ioannem B. Lancellotti ante diem 25 VIII 1640 scripta – Roma, APF: Scritti rif. in Congr. (1726-1734), vol. 5, f. 186rv.

²²⁴ Reperta est quoque epistula a Lauro Mario Altieri (qui fuit fortasse Aemilii consanguineus) die 8 II 1652 scripta – Roma, BV, Barb. Lat. 6583, f. 242v.

²²⁵ Epistula Dominici Roncalli, olim secretarii, Varsoviae die 30 VII 1628 missa est, in Ioannis B. Lancellotti responso Nolae miso dies 17 VIII 1628 est ascripta (vide: Wrocław, Biblioteka Zakładu Narodowego im. Ossolińskich (infra citatur: BOss): 157/II, f. 29-30); epistulae a secretario Varsaviae diebus 25 XII 1627, 18 III 1628, 10 VI 1628 et 8 VII 1628 missae asseruntur Romae – reg. Archivum Romanum Societatis Iesu (infra citatur: ARSI): EP NN51A, f. 324, 329, 331 et 340. Praeterea repertae sunt duae epistulae epi Stanislai Łubieński Pultoviae die 18 I 1628 missae (vide Wrocław, BOss: 157/II, f. 4-5 et cop. Roma, ADP: Archiviolo 123, f. 16r-17v) et tertia epistula, quam Viscovii (Polonice Wyszków, 1630) misit (vide cop. Wrocław, BOss, 157/II, f. 199-200).

²²⁶ Adhuc falso putatur eum die 23 VII 1656 mortuum esse. Primus erravit F. Ughello SOC, *Italia Sacra*, vol. 6, Venetiae 1720, f. 263, post eum: G. Remondini, *op. cit.*; *Encyklopedia Powszechna Orgelbranda* [Encyclopaedia Universa Orgelbrandi], vol. 9, p. 142-143; F. Renato de Luca, *Vescovi di Nola appartenti alla nobilita*, „Rivista Araldica” 77 (1979) n. 7, p. 147; ANP, vol. 1, p. 250. Sed „Libro defunctorum” dioecesis Nolanae legimus Ioannem B. Lancellotti uno anno prius, id est die 23 VII 1655, obiisse, cfr Nola, AD: Liber defunctorum I, II et III, f. 2v. Qui annus comprobatur etiam verbis his: „Di Roma, li 31 di luglio 1655. e venuto avviso della morte di Monsignore Lancellotti vescovo di Nola, seguita alla sua Chiesa in eta di 83 ed 42 anni di vescovato essendo egli il Decano di Regno” (Roma, AV: Avvisi 24, f. 242) et documentis, quae in Lancellottorum arce Laurana asservantur.

²²⁷ In documentis genealogicis saeculo XIX confectis, quae in Lancellottorum arce Laurana asservantur, recte scriptum est: „Excipiet die XXIII Iulii MDCLV etatis LXXX episcopatus XXXX”. Cfr G. Remondini, *op. cit.*, p. 321-322 et Lauro, APL: Notizie genealogiche, f. 10-11.

ABBREVIATIONES GENERALES

a – annus	n. – numerus documenti vel volumen in aliquo archivio vel editione
add. – additamentum	
aepus – archiepiscopus	
ann. – annotatio	N.N. – nomen nescio (persona ignota)
art. – articulus	nº – numero
c. – cifra (documentum notis arcanis exaratum)	nom. – nominatus
ca – circa	ob. – obiit
cap. – caput	op. cit. – opere citato
card. – cardinalis	or. – originale
cfr – confer	p. – pagina
col. – columna	prob. – probabiliter
conc. – conceptum	prov. – pro visus
cop. – copia	Ps. – postscriptum
dec. – documentum decifratum	r – recto
ed. – edidit	reg. – registrum, documentum in registerum transcriptum
epus – episcopus	s.d. – sine dato
etc. – et cetera	s.d.d. – sine dato diei
exc. – excerptum	s.d.m. – sine dato mensis
e.g. – exempli gratia	ser. – series
f. – folium	s.f. – sine foliatione
fasc. – fasciculus	s.l. – sine loco
ff. – folia	s.l.d. – sine loco dato que
ibid. – ibidem	sq. – sequens
i.e. – id est	sqq. – sequentes
in. – ineunte	summ. – summarium
i.u.d. – iuris utriusque doctor	t. – tomus
l.c. – loco citato	tab. – tabula
m. – mensis	tav. – tavola
min. – minuta	tit. – titulus
ms. – manuscriptum	v – verso
N. – numerus documenti in hac editione	vol. – volumen

INDEX FONTIUM
qui in hoc volumine publicantur

Archivum Secretum Vaticanum (AV):

- Archivum S. Congregationis Sacrorum Ritum,
 - n. 5939; in coperculo acta sessionis Congregationis Sacrorum Rituum die 23 IX 1623 habitae continente.
- Armarium (Arm.) 45 (XLV),
 - ms. 20 f. 151v, 160r, 161r-164r, 165r-175v, 176v-194r.
- Nunziatura di Polonia (Nunz. Pol.)
 - ms. 174A f. 3r-26r.
 - add 1 fasc. III [n. 1 nlb].
- S. Congregationis Concilii lib. XI litt. Congr. Concilii (1618–1626) f. 159rv. Congr. Concilii, Positiones 177 f. 152r, 154r, 155r, 156r-157r, 158r-164r, 166r, 167r.
- Secretarius Breverium (Sec. Brev.)
 - ms. 666 f. 67r-77r, 78r, 79rv, 149rv, 150rv, 242rv.
- Fondo Pio
 - ms. 123 f. 42r-61r.

Bibliotheca Apostolica Vaticana (BV):

- Cod. Barberini Latini (Barb. Lat.),
 - ms. 2168 25r-26v, 27v, 28v-29r, 30r, 31r-33v, 39v-40r, 41r-42r, 44r, 45r-47r, 48r, 49r-50r, 51v, 54r, 55v-56r, 57r, 58r-60r, 61r-62v, 63v, 64v, 67v-68r, 69r-73v, 75v, 76v, 77v, 78v, 79v, 80r-81v, 82v, 83v, 85r-86r, 87rv, 89v, 90v-91v, 93r-95r, 96r-98r, 99v, 100v, 102v, 105r, 106r-107v, 110v, 111v, 112v, 113r-114v, 115v, 116r-117v, 118v, 119r-120r, 121r, 122r-123r, 124r, 125r-126r, 127r-129v, 130v, 131v, 132v, 133v, 134v-135r, 136r-137r, 138r-139r, 140r, 141r, 142v, 143v, 144v, 145v, 146r, 147v-149r, 150v, 151v-152r, 153r, 154r-156r, 157v-158r, 159r-161r, 162v, 163v, 164v, 165r-166r, 167r-171v, 172v, 173v, 174v, 175r, 176r-178r, 179r-180v, 181v, 182v, 183v, 184v, 34a, 42a, 43a, 53a, 54a, 59a, 65a, 66a, 88a, 101a, 104a, 118a, 121a, 141a, 158a, 118b.
 - ms. 6600 f. 107rv.
 - ms. 6621 f. 73v, 74rv, 76r, 77r, 78r, 80v, 81r-82v, 83rv, 84r-87v.
 - ms. 6658 f. 42v.
 - ms. 8692 f. 131r-147r.
- Cod. Borgiani Latini (Borg. Lat.)
 - ms. 32 f. 377r-395r, 397r-419r.

- Cod. Ottoboniani Latini (Ottobon. Lat.)
 - ms. 2725 f. 131r-143v, 189r-199r.
- Cod. Vaticani Latini (Vat. Lat.)
 - ms. 8631 f. 374r-557r.

Archivum S. Congregationis de Propaganda Fide, Roma (APF):

- Acta S. Congregationis de Propaganda Fide (Acta),
 - vol. 3 f. 102r, n. 20, f. 105r, n. 5-6.
- Lettere Volgari (Lett. Volg.),
 - ms. 2 f. 39rv, 59r, 60r, 72r, 73r, 75v, 82v, 86rv, 91v.
 - ms. 3 f. 55v-56r, 62v, 86rv, 92rv, 93v, 97r.
- Scritture Originali riferite nelle Congregazioni Generali (SOCG),
 - ms. 337 f. 138rv, 141rv, 244r, 269r, 270r-273v, 274v, 276v, 278rv, 280r-281r, 283rv, 284v-285r, 286rv, 299v-300r, 306v, 315r, 316rv, 319v, 320v, 339r, 346v, 415r, 426v.
- SC I serie „Moscovia, Polonia e Rutheni” (1624-1674) f. 451rv.
- Visite e collegi,
 - vol. 1 f. 42r, 43r-44v, 46v, 47v, 49r-55v, 55r.
 - vol. 3 f. 415r-418v.

Berlin, Deutsche Staatsbibliothek (DStB):

- Ms. ital. fol. 11 f. 683r-719r.

Bologna, Biblioteca Universitaria di Bologna (BU):

- ms. 856 vol. III n. 22 f. 299r-322r.

Firenze, Archivio di Stato (AS):

- Arch. Med. V 4024 f. 176r-211v, 302r-331v.

Firenze, Biblioteca Nazionale Centrale (BN):

- Ms. II II 426 f. 131r-168v, 169r-199r.

Forlì, Biblioteca Comunale

- Fondo Piancastelli, CR Busta 255, d. 129.

Imola, Biblioteca Comunale (BC):

- ms. 94, stanza A², scaff. a palch. 4 n. 20, f. 143r-177v.

Kraków, Biblioteka Czartoryskich [Biblioteka Czartorysciana] (BCz):

- Ms. 113 f. 1145r-1159.

Kraków, Archiwum Prowincji Franciszkanów Konwentualnych [Archivum Provinciae Franciscanorum] (APFr):

- Litterarium continens varias epistolas, s. 382-383.

Kraków, Biblioteka Naukowa PAU–PAN [Bibliotheca Academiae Scientiarum et Litterarum Polonae] (BPAN Kr)

- ms. 8390; 8401.

Lauro, Archivio di Principi Lancellotti (APL):

- Armadio (Arm.) B 2, fasc. H, 24.
fasc. H, 25 f. 1r-20v; 20v.
- Registro delle lettere principali (Reg. Lett. Princ.) f. 4r-53v.

Olsztyn, Archiwum Diecezji Warmińskiej w Olsztynie [Archivum Olstiniense Dioecesis Varmiensis] (ADWO)

- AK rkps AB 11 I, f. 56r-57r.
- AK, 4, f. 103v-104v.
- AB A8, f. 502-507.

Pescia, Biblioteca Capitolare (BCap):

- scaffale XXIII, palch. III/IV op. 4 n. 4 f. 129r-153.
- op. 8 n. 4 f. 37r-58.

Poznań, Biblioteka Raczyńskich [Bibliotheca Urbana Publica Eduardo-Raczyńska] (BRacz):

- 31, k. 62b, 64b, 67b, 70b.

Roma, Archivio di Stato (AS):

- Archivio Santacroce (Arch. Santacroce), ms. 144 f. 78r-104v.

Roma, Biblioteca dell'Accademia Nazionale di Lincei e Corsiniana (BALC):

- Corsiniana, cod. 471 f. 164r-200v.
- cod. 472 f. 167v-194r.
- cod. 478 f. 545r-591v.

Roma, Biblioteca Nazionale Centrale (BNC):

- F. Gesuitico 177 f. 199r-227v, 425r-460v.

Roma, Biblioteca Casanatense (BCAs):

- ms. 2046, f. 387r-424r.

Stockholm, Svenska Riksarkivet

- Extranea IX Polen, vol. 98 (mf w AGAD).

Salzburg, Universitätsbibliothek Salzburg (BU):

- Cod. M II 203 f. 3r-36r, 40r-66v.
- Cod. M II 209 f. 196r-225r, 226r-255r.

Warszawa, Archiwum Główne Akt Dawnych [Archivum Maximum Actorum Veterum] (AGAD):

- Metryka Litewska IX, 53, f. 338, nr 112.

Warszawa, Biblioteka Uniwersytetu Warszawskiego [Bibliotheca Universitatis Varsaviensis] (BUW):

- 55, f. 70v, 72rv, 74v, 88v-91v.
- 56, f. 6v-81.
- 58, f. 9-10.

Wiedeń, Staatsbibliothek (SB):

- Cod. 6837 f. 98r-141r.

Wrocław, Biblioteka Zakładu Narodowego im. Ossolińskich [Bibliotheca Instituti Nationalis Ossoliniani] (BOss):

- ms. 223 f. 295r-296r.
- ms. 921 f. 33r-67v.
- ms. 1257 f. 307r-357r, 627r-675r.

OPERA
in quibus scripta ad nuntiaturam Ioannis Baptistae Lancellotti
attinentia publicata sunt

- Gramatowski, *Polonika liturgiczne* [Polonica liturgica] – Wiktor Gramatowski, *Polonika liturgiczne w Kongregacji Obrzędów 1588–1632. Studium z dziejów Kurii Rzymskiej* [Polonica liturgica in Congregatione Sacrorum Rituum 1588–1632. Studia ad Curiae Romanae historiam pertinencia], Romae–Varsaviae 1988
- Šeptyckyj MUH I, IX-X – *Monumenta Ucrainae Historica*, coll. Andreas Šeptyckyj, vol. I: 1075–1623, Romae 1964, vol. IX-X: *Supplementum (1075–1632)*, ed. I. Sliypyj, Romae 1971
- Szteinke Anzelm Janusz, *Kościół Świętego Antoniego i klasztor franciszkanów-reformatorów w Warszawie 1623–1987* [De ecclesia S. Antonii et monasterio Franciscanorum-Reformatorum Varsaviensi 1623–1987], Cracoviae 1990
- Theiner VMP III – *Vetera Monumenta Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae gentiumque finitimarum historiam illustrantia*, ed. Augustinus Theiner, vol. III: *A Sixto PP V usque ad Innocentium PP XII, 1585–1696*, Romae 1863
- Welykyj LNA IV – *Litterae nuntiorum apostolicorum historiam Ucrainae illustrantes (1550–1850)*, cur. Athanasius G. Welykyj, vol. IV: 1621–1628, Romae 1960
- Welykyj LPF I – *Litterae S. C. de Propaganda Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantes*, coll. Athanasius G. Welykyj, vol. I: 1622–1670, Romae 1954

FONTES ET STUDIA AUXILIARIA
quibus in hoc volumine apparando usi sumus

- Abrahamowicz, *Katalog dokumentów tureckich* [Catalogus documentorum Turcicorum] – Zygmunt Abrahamowicz, *Katalog dokumentów tureckich. Dokumenty do dziejów Polski i krajów ościennych w latach 1455–1672* [Catalogus documentorum Turcicorum. Documenta ad Poloniae civitatumque finitimarum historiam a. 1455–1672 pertinentia], Varsaviae 1959
- Annales Minorum XXV – Annales Minorum seu trium Ordinum a S. Francisco institutorum*, vol. XXV: 1612–1622, coll. S. M. de Cerreto, Quaracchi 1934
- Bullarium Pontificium Sacrae Congregationis de Propaganda Fide*, vol. I, Romae 1839
- Documenta Bohemica Bellum Tricennale Illustrantia*, vol. 3 – *Der Kampf des Hauses Habsburg gegen die Niederlande und ihre Verbündeten. Quellen zur Geschichte des Pfälzisch-Niederländisch-Ungarischen Krieges 1621–1625*, ed. Milos Kouril, Pragae 1976
- Dragonetti de Torres Alfonso, *Lettere inedite dei cardinali de Richelieu, de Joyeuse, Bentivoglio, Baronio, Bellarmino, Maurizio di Savoia ed altri e due lettere autografe di Torquato Tasso diritte ai cardinali Ludovico e Cosmo de Torres con i facsimili degli autografi*, L’Aquila 1929
- Gramatowski Wiktor, *Il fondo liturgico più antico dell’Archivio della S. Congregazione dei Riti (1588–1700)*, „Archivum Historiae Pontificiae” 13 (1975), pp. 401–424
- Gubernatis Dominicus de, *Orbis Seraphicus. Historia de tribus Ordinibus a Seraphico Patriarcha S. Francisco institutis*, vol. I–IV, Romae 1682–1685
- Relacje biskupów lwowskich 1595–1794* [Relationes episcoporum Leopolensis 1595–1794], ed. T. Długosz, Leopoli 1937
- Relacye nunciuszów apostolskich i innych osób o Polsce od r. 1548 do 1690* [Relationes nuntiorum apostolicorum aliorumque ad Poloniam a. 1548–1690 pertinentes, ed. E. Rykaczewski, vol. II, Berolini–Posnaniae 1864
- SRP V – *Scriptores rerum Polonicarum*, vol. 5, Cracoviae 1880 (pp. 1–171: *Listy księcia Jerzego Zbaraskiego, kasztelana krakowskiego, z lat 1621–1631* [Epistulae Georgii Zbaraski ducis, castellani Cracoviensis, a. 1621–1631 scriptae], ed. A. Sokołowski)
- Vol. Leg. III – *Volumina legum. Prawa, konstytucye y przywileje Królestwa Polskiego, Wielkiego Księstwa Litewskiego y wszystkich prowincyi należących, na walnych seymiech koronnych od seymu wiślickiego Roku*

- Pańskiego 1347 aż do ostatniego seymu uchwalone* [Leges, constitutio-
nes et privilegia Regni Poloniae, Magni Ducatus Lithuaniae et omnium
provinciarum, lata in comitiis Regni inde ab comitiis Visliciensibus Anno
Domini 1347 usque ad ultima comitia], ed. Iosaphatus Ohryzko, vol. III,
Petropoli 1859
- Welykyj ACPFI – *Acta S. C. de Propaganda Fide Ecclesiam Catholicam Ucrai-
nae et Bielarusiae spectantia*, coll. Athanasius G. Welykyj, vol. I: 1622–
1667, Romae 1953
- Welykyj DPR I – *Documenta Pontificum Romanorum Historiam Ucrainae
illustrantia*, coll. Athanasius G. Welykyj, vol. I: 1075–1700, Romae 1953
- Welykyj EM I – *Epistolae Metropolitarum Kiovienium*, coll. Athanasius G.
Welykyj, vol. I, Romae 1956
- Welykyj SEUUB I – *Suplicationes Ecclesiae Unitae Ucrainae et Bielorusiae*,
coll. Athanasius G. Welykyj, vol. I, Romae 1960

* * *

- Ago R., *Carriera e clientele nella Roma barocca*, Bari 1990
- Ameyden T., *La storia delle Famiglie Romane*, Roma 1896
- Angelillo L., *La cattedrale di Nola nella sua storia*, s. l. [1909]
- Biaudet H., *Les nonciatures apostoliques permanents jusqu'en 1648*, Helsinki
1910
- Bignami Odier J., *La Bibliothèque Vaticana de Sixte IV à Pie XI (Biblioteca
Apostolica Vaticana. Studi e Testi 272)*, Città del Vaticano 1973
- Cerchiari E., *Capellani papae et Apostolicae Sedis auditores causarum Sacri
Palatii Apostolici seu Sacra Romana Rota ab origine ad diem usque 20
septembris 1870*, vol. 2, Roma 1921
- Chłędowski K., *Rzym. Ludzie baroku* [Roma. De hominibus Barocci], Wrati-
slaviae [1997]
- Cronotassi critica dei legati, vicelegati e governatori di Bologna dal. sec. XVI
al XVIII, cur. M. Pasquale e M. Ferretti, in: *Atti e Memorie della Depu-
tazione di Storia Patria per le Province di Romagna*, n. s. vol. 23, Bolo-
gna 1972
- Czapliński W., *Dyplomacja polska w latach 1605–1648* [De Polonorum re
diplomatica annis 1605–1648], in: *Polska służba dyplomatyczna XVI–
XVIII wieku* [De Polonorum re diplomatica saeculis XVI–XVIII], cur.
Z. Wójcik, Varsaviae 1966
- Dąbkowski P., *Rys urządzeń pocztowych w dawnej Polsce* [De institutis cursua-
libus in Polonia antiqua], Cracoviae 1903
- Del Re N., *La Curia Romana. Lineamenti storico-giuridici*, Roma 1970

- Dictionnaire historique de la Papauté*, cur. P. Levillain, Paris 1994
- Dorobisz J., *Sejm nadzwyczajny z 1624 roku* [De comitiis extraordinariis anno 1624 habitis], Oppoliae 1994
- Diplomaci w dawnych czasach. Relacje staropolskie z XVI–XVIII stulecia* [Diplomatici veteres. Relationes in Polonia antiqua saec. XVI–XVIII confectae], cur. A. Przyboś i R. Żelewski, Cracoviae 1959
- Enciclopedia Storico-Nobiliare Italiana*, cur. V. Spredi, vol. 4, Milano 1931
- Encyklopedia wiedzy o jezuitach na ziemiach Polski i Litwy 1564–1995* [Encyclopaedia scientiae Iesuitarum Polonorum et Lithuanorum 1564–1995], cur. L. Grzebień et alii, Cracoviae 1996
- Esperti C., *Memoriale Ecclesiastice della Città di Caserta*, Napoli 1775
- Feldkamp M., *Studien und Texten zur Geschichte der Kölner Nuntiatur – I. Die Kölner Nuntiatur und ihr Archiv. Eine behördengeschichtliche und quellenkundliche Untersuchung* (Collectanea Archivi Vaticani 30), Città del Vaticano 1993
- Fink U., *Die Luzerner Nuntiatur 1586–1873. Zur Behördengeschichte und Quellen der päpstlichen Diplomatie in der Schweiz* (Collectanea Archivi Vaticani 40 – Luzerner Historische Veröffentlichungen 32), Luzern 1997
- Fino A., *Chiesa e società nelle diocesi di Terra di Lavoro a sud del Volturno in età postreidentina (1585–1630)*, „Rivista di Storia della Chiesa in Italia” 35 (1981)
- Fokciński H., *Conferimento dei benefici ecclesiastici maggiori nella Curia Romana fino alla fondazione della Congregazione Concistoriale*, „Rivista di Storia della Chiesa in Italia” 35 (1981)
- Gams P. B., *Series episcoporum Ecclesiae Catholicae*, Ratisbonae 1873
- Ganzer K., *Der ekklesiologische Standort des Kardinalskollegiums in seinem Wandel-Aufstieg und Niedergang einer kirchlichen Institution*, „Römische Quartalschrift für Christliche Altertumskunde und für Kirchengeschichte” 88 (1993)
- Grzywacz J., *Nominacje biskupów w Polsce przedrozbiorowej* [Nominationes episcoporum in Polonia libera], Lublini 1960
- Die Hauptinstruktionen Clemens VIII. für die Nuntien und Legaten an den europäischen Fürstenhöfen 1592–1605*, vol. 1-2, cur. K. Jaitner et M. Niemeyer, Tübingen 1984
- HC IV – *Hierarchia Catholica medii et recentioris aevi*, vol. 4, Padua 1967²
- Jačov M., *Spiski Kongregacije za Propagandu Vere 1622–1644* [Acta Congregationis de Propaganda Fide 1622–1644], vol. 1, Belgradi 1986
- Jedin H., *Kirche des Glaubens – Kirche der Geschichte*, vol. 2, Freiburg im Breisgau 1966
- Kaczmarzyk D., *Kościół św. Anny* [De ecclesia S. Annae], Varsaviae 1984
- Kantak K., *Bernardyni polscy* [De Bernardinis Polonis], vol. 2, Leopoli 1933

- Katterbach B., *Referendarii utriusque Signaturae a Martino V ad Clementem XI et prelati supplicationum a Martino V ad Leonem XIII*, Città del Vaticano 1931
- Klasztory bernardynskie w Polsce* [De monasteriis Bernardinorum Polonis], cur. H. E. Wyczawski, Monte Calvariae 1985
- Kopiczko A., *Organizacja i ustrój diecezji warmińskiej w latach 1525–1772* [De dioecesi Varmiensi annis 1525–1772], Lublini 1991
- Kościół w Polsce* [De ecclesia Polona], t. 2 – *Wiek XVI–XVIII* [Saecula XVI–XVIII], cur. J. Kłoczowski, Cracoviae 1969
- Kowalsky N., *Inventario dell'Archivio storico della S. Congregazione „de Propaganda Fide”*, „Neue Zeitschrift für Missionswissenschaft” 17 (1961)
- Kraus A., *Das Archiv Magalottis, Staatssekretärs Urbans VIII. von 1623 bis 1628*, in: *Hundert Jahre Deutsches Priesterkolleg beim Campo Santo Teutonico 1876–1976. Beiträge zu seiner Geschichte*, cur. E. Gatz, Rom – Freiburg – Wien 1977
- Kraus A., *Die Geschichte des päpstlichen Staatssekretariats im Zeitalter der katholischen Reform und Gegenreformation als Aufgabe der Forschung*, „Römische Quartalschrift für Christliche Altertumskunde und für Kirchengeschichte” 84 (1989)
- Kraus A., *Das päpstliche Staatssekretariat unter Urban VIII. 1623–1644*, [Rom–Freiburg–Wien 1964]
- Kraus A., *Secretarius und Sekretariat. Der Ursprung der Institution des Staatssekretariats und ihr Einfluss auf die Entwicklung moderner Regierungsformen in Europa*, „Römische Quartalschrift für Christliche Altertumskunde und für Kirchengeschichte” 55 (1960)
- Leitsch W., *Die Bemühungen Zygmunts III. von Polen um die Kardinalswürde für Claudio Rangoni*, „Mitteilungen des Österreichischen Staatsarchivs” 31 (1978)
- Mańkowski A., *Ingres biskupa Jakuba Zadzika do katedry chełmżyńskiej w r. 1625* [De ingressu ep. Iacobi Zadzik in cathedram Culmensem anno 1625 facto], „Zapiski Towarzystwa Naukowego w Toruniu” [Acta Societatis Scientificae Toruniensis] 6 (1925)
- Menicucci F., *Biografia inedita dell'abbate Gianfrancesco Lancellotti (1721–1788)*, Ascona 1908
- Menniti Ippolito A., *Politica e carriera ecclesiastica nel secolo XVII. I vescovi veneti fra Roma e Venezia*, Napoli 1993
- Miele M., *Il culto alla Madonna dell'Arco. Contributo alla storia della pietà popolare nel Napoletano*, Napoli 1966
- Minieri A., *Compendio della Terra di Nola*, Nola 1973
- Moroni G., *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica da S. Pietro sino ai nostri giorni*, vol. 1-103, Venezia 1840–1861

- Murawiec W. F., *Bernardyni warszawscy. Dzieje klasztoru św. Anny w Warszawie 1454–1864* [De Bernardinis Varsaviensibus. Historia monasterii S. Annae Varsaviensis 1454–1864], Cracoviae 1973
- Olśr J., *La Congregazione ed i Paesi assegnati al Nunzio di Polonia (Polonia, Svezia, Russia)*, in: *SCPF Memoria Rerum. 350 anni a servizio delle missioni 1622-1972*, ed. J. Metzler, vol. 1/2, Romae [1972]
- Palliola F., *La reggia degli Orsini di Nola*, in: *Partito Repubblicano Italiano. Sezione di Nola e Piazzola. Impegno del Partito per la città di Nola*, [Nola] 1986
- Pastor L., *Storia dei Papi*, vol. 13, Roma 1931
- Pásztor L., *La Curia Romana. Problemi e ricerche per la sua storia nell'età moderna e contemporanea*, Roma 1969
- Podhorodecki L., *Stanislaw Koniecpolski ok. 1592–1646* [Stanislaus Koniecpolski ca 1592–1646], Varsaviae 1978
- Propozycje konsystorialne w XVI wieku. Omówienie. Teksty polskie* [De propositionibus consistorialibus saeculi XVI. Enarratio. Textus Poloni], ed. H. Fokciński et alii, Romae 1994
- Pufendorf S., *De rebus a Carolo Gustavo Sueciae rege gestis*, Norymbergae 1696
- Pufendorf S., *Histoire de regne de Charles Gustave*, s. l. [1697]
- Reinhard W., *Papstfinanz und Nepotismus unter Paul V. (1605-1621)*, Stuttgart 1974
- Remondini G., *Della Nolana ecclesiastica storia*, vol. 3, Napoli 1757
- Renato de Luca F., *Vescovi di Nola appartenuti alla nobiltà, „Rivista Araldica”* 77 (1979) n. 7
- Repfen K., *Zur Diplomatik der Nuntiaturberichte – Dienstvorschrift für das Abfassen von Avvisi aus dem Jahre 1639, „Römische Quartalschrift für Christliche Altertumskunde und für Kirchengeschichte”* 49 (1954)
- La Sacra Congregazione del Concilio – quarto centenario dalla fondazione (1564–1964). Studi e ricerche*, Città del Vaticano 1964
- Scalvanti O., *Cenni storici della Università di Perugia*, Perugia 1910
- Scalvanti O., *Inventario-registro dell'Archivio Universitario di Perugia*, [Perugia 1898]
- Semmler J., *Das päpstliche Staatssekretariat in den Pontifikaten Pauls V. und Gregors XV. 1605–1623*, Freiburg im Breisgau 1969
- Słownik biograficzny kapituły warmińskiej* [Lexicon biographicum capituli Varmiensis], Olstini 1996
- Šmurlo E., *La Russia e l'Italia. Collezione di materiali e ricerche storiche sulle relazioni fra la Russia e l'Italia*, vol. 4, Leningrado 1927
- Śnieżko A., *Historiografia poczty polskiej* [Historiographia cursus publici Polonorum], Varsaviae 1959

- Śnieżko A., *Trakt pocztowy z Krakowa do Wenecji [Via cursualis, quae Cracovia Venetias ferebat]*, „Filatelist” [Philatelist] 5 (1958)
- Sorrentino R., *La Madonna dell’Arco*, Napoli [1985²]
- Sztafrowski E., *Kuria Rzymska. Studium historyczno-kanoniczne [De Curia Romana. Studium historicocanonicum]*, Varsaviae 1981
- Tygielski W., *Z Rzymu do Rzeczypospolitej. Studia z dziejów nuncjatury apostolskiej w Polsce XVI–XVII w.* [E Roma in Rem Publicam. Studia ad historiam nuntiaturae apostolicae in Polonia saec. XVI–XVII pertinentia], Varsaviae 1992
- Ughelli F., *Italia Sacra*, vol. 6, Venetiae 1720
- Völker M., *Römische Kardinalshaushalte des 17. Jahrhunderts. Borghese–Barberini–Chigi*, Tübingen 1993
- Völker M., *Die Sapienza als Klient. Die römische Universität unter dem Protektorat Barberini und Chigi, „Quellen und Forschungen aus Italienischen Archiven und Bibliotheken”* 70 (1990)
- Walf K., *Die Entwicklung des päpstlichen Gesandtschaftswesens in dem Zeitabschnitt zwischen Dekretalenrecht und Wiener Kongreß (1159–1815)*, (Münchener Theologischen Studien. Kan. Abt. 24), München 1966
- Weber C., *Legati e governatori dello Stato Pontificio (1550–1809) (Pubblicazioni degli Archivi di Stato. Sussidi 7)*, [Roma] 1994
- Weber C., *Senatus Divinus. Verborgene Strukturen im Kardinalskollegium der frühen Neuzeit (1500–1800)*, Frankfurt am Main 1996
- Wisner H., *Dyplomacja polska w latach 1572–1648* [Res Diplomatica Polonorum annis 1572–1648], in: *Historia dyplomacji polskiej* [Historia Rei Diplomaticae Polonorum], vol. 2 – 1572–1795, cur. Z. Wójcik, Varsaviae 1982
- Wodka J., *Zur Geschichte der nationalen Protektorate der Kardinäle an der Römischen Kurie*, Innsbruck–Leipzig 1938
- Wójcik W., *Kościelne ustawaodstwo partykularne w Polsce przedrozbiorowej na tle powszechnego prawodawstwa kościelnego* [Leges particulares in Polonia libera latae cum legibus universis in Ecclesia latis comparantur], in: *Księga tysiąclecia katolicyzmu w Polsce* [Liber millenii religionis catholicae in Polonia], vol. 1, Lublini 1969
- Wójcik W., *Ze studiów nad synodami polskimi* [Studia ad synodos Polonas pertinentia], Lublini 1982
- Wojtyska H. D., *Papiestwo–Polska 1548–1563. Dyplomacja* [Papatus–Polsnia 1548–1563. Res Diplomatica], Lublini 1977
- Wojtyska H. D., *Papiestwo w XV–XVII wieku w poszukiwaniu własnej tożsamości* [Papatus saec. XV–XVII identitatem suam quaerit], „Kwartalnik Historyczny” [Acta Historica Trimestria] 92 (1985)
- Zarębska T., *Plan Warszawy z pierwszej połowy XVII wieku* [Descriptio Varsaviae saeculi XVII parte priore confecta], „Kwartalnik Architektury i Urbanistyki” [Acta Architectonica et Urbanistica Trimestria] 3 (1964)

Zdziech T., *Archiwum historyczne Kongregacji Rozkrzewiania Wiary* [Archivum historicum Congregationis de Propaganda Fide], „*Informationes. Biuletyn Papieskiego Instytutu Studiów Kościelnych*” [Acta Instituti Papalis Studiorum Ecclesiasticorum] 3 (1984)

ITINERARIUM IOANNIS BAPTISTAE LANCELLOTTI
tempore nuntiaturae Polonae

1622 ante 25 XI	nuntius apostolicus in Re Publica factus est (AV, Arm. 45, ms. 20 f. 151r)
XI/XII 1622	in Poloniā profectus est (AV, Arm. 45, ms. 20, f. 151v-154v, 156v-157v)
1 I 1623	Florentia (BV, Barb. Lat. 6583, f. 1r-v)
10 II 1623	Vindobona (BV, Barb. Lat. 6582, f. 82r)
16 II 1623	Mikulov in Moravia (BV, Barb. Lat. 6583, f. 2r)
23 II 1623	in Poloniā venit – Tinecium (BV, Barb. Lat. 6583, f. 3r)
2 III–12 IV 1623	Cracovia (Lauro APL, Arm. B 3a, fasc. R, 2, f. 3r-4r; BV, Barb. Lat. 6583, f. 9r)
28 IV 1623 – 25 VI 1625	Varsavia (BV, Barb. Lat. 6583, f. 21r, 22r; Barb. Lat. 6582, f. 105r)
11 VII–31 X 1625	Bodzentyn (AV, Nunz. Pol. 38, f. 125r, 148r)
2 XI 1625	Varsavia (AV, Nunz. Pol. 38, f. 187r-189r)
6–17 XI 1625	Bodzentyn (AV, Nunz. Pol. 38, f. 190r-v, 193r-v)
28 XI 1625 – 1 X 1626	Varsavia (AV, Nunz. Pol. 38, f. 198r-v, 39, f. 4r-v)
14–20 X 1626	Gedanum (AV, Nunz. Pol. 39, f. 144r-145r, 150r-151v)
24–30 X 1626	castra ad Drwęca flumen sita (AV, Nunz. Pol. 39, f. 154r, 157r-162r)
9 XI–2 XII 1626	Thorunium (AV, Nunz. Pol. 39, f. 164-166r, 175r-176v)
18 XII 1626 – 25 VI 1627	Varsavia (AV, Nunz. Pol. 39, f. 172r, 183r-185r, 186r)
25 VI 1627	Varsaviam reliquit (AV, Nunz. Pol. 41, f. 86r-v)